COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XXVII. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Ioſ. Molini, Holmiae apud M. Swederum.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Nya Handlingar Tom. V. 1784. Stockholm, tryckte hos Ioh. Georg Lange 1784. pag. 336. in 8v. tabb. aen. 8.

i. e.

Noua Acta Ac. Reg. Scient. Suec. Tom. V. anni 1784.

Trimeſtre primum.

DAN. MELANDERHIELM, de tempeſtate aeſtatis 1783. Conſtanter ventorum cauſſas, ſolis et lunae attractiones calculo ſubiecit Dom. D'ALEMBERT, in *Reflexions ſur la cauſe générale des Vents* ſcripto ab Ac. R. Sc. Pruſſ. 1746. praemio ornato. Ad variabiles pertinent calor ſolis, vapores varii generis. Illarum effectus magis praeualet in regionibus polo vicinis, vbi minor eſt vis conſtantium. Aeſtas breuis et calida 1783 efficiebatur inprimis a vaporibus, qui, tellure in Sicilia et Calabria concuſſa, ex cryptis ſubterraneis erumpebant, et atmoſphaerae miſcebantur. Haec vlterius perſequitur Cl. Auctor et ex ſimilibus vaporibus explicat illum aëris obfuſcati ſtatum quem *Hoehenrauch* appellant. p. 3.

II. Editur ſcriptum Comitis SVEN CRONSTEDT, iam vita functi, anno 1770, 1771. Agit de *fiſſuris glaciei* in lacu *Mälar*, longe excurrentis, dum glacies cum fragore ad plura milliaria audiendo rumpitur, et terra late circum circa tremit. *Vrâkar* appellant. p. 19.

III. ZACH. NORDMARK docet reperire *indices variationis curuaturae.* p. 28.

p. 34. IV. AND. IO. HAGSTRÖM, de *opii vſu in lue venerea.* Experimentis, tum in noſocomio inſtitutis, tum in propria praxi, comperit, opium nihil prodeſſe, vbi mercurius ante fruſtra erat adhibitus, hoc autem auxilium ferente, rectius iudicat, ab opio abſtineri. Magnis etiam doſibus, quas iam commendant medicorum aliqui, datum, vitae et valetudini aegrorum minari.

p. 40. V. ARVID FAXE deſcribit *Gaſtrodyniam cum vomitu amurcae ſic dictae atrabiliariae, vt et ſanguinis.* Materia nigra et vomitu, et per anum excreta, omnino ſimilis vernici nigro Sinenſi, viſcida, erat *bilis atra*, quae cum in pancreate eſſet coacervata, eo in loco dolorem excitauit et vomitum. Euacuata illa, aegro priſtina ſanitas rediit.

p. 47. VI. IO. OTTO HAGSTRÖM per aliquod tempus ſeruauit *Treſtudinem puſillam* LINN. S. N. ed. XII. p. 333. et quaedam de eius oeconomia refert. Veſcebatur floribus violae odoratae, item trifolii montani. Ingruente frigore, iam menſe Septembri, coepit minus appetere nutrimentum, poſt fine omni cibo ſubſtitit inde a 1. Nov. 1782. ad 1. Mart. 83, quod ab aëre frigidiore in loco, vbi commorabatur, deducit: Nam hyeme 1784 inde a fine Ianuarii effecit, vt locus ille caleret gradibus 15, tunc iam Februario menſe coepit veſci floribus trif. montani, aeſtate praecedente decerptis et in vmbra ſiccatis.

p. 52. VII. CAR. RINMAN edit *experimenta* cum *Zeolitho* inſtituta, plura et curioſius inſtituta, quam vt hic excerpi queant. Calcareae terrae poſt ſiliceam maximas partes in componendo Zeolitho tribuit, praeterea illi inſunt magneſia, argilla, ferrum calcinatum, tandem aqua acido aëreo impraegnata.

p. 70. VIII. C. P. THUNBERG recenſet *mineralia et gemmas*, quae in inſula *Ceylon* vidit. Quem lapidem

dem Europaei Turmalinum vocamus, electrica virtute celebrem, illi non idem nomen tribuunt insulani, sed Turmalinos nominant lapides nihil electrici habentes, colore et perspicuitate varios.

IX. B. N. BERKENMEIR de *propagatione hirudinum*. Hirudinem feminam praegnantem seruauit, ea edidit aceruos ouorum minutissimorum, quae vel microscopio spectata non maiora semine maiorani apparebant; his tribus septimanis incubuit, ita magnitudine creuerunt, vt lente spectata brassicae semino aequare viderentur, prodierunt proles singulae ex singulis ouulis, perpetuo ventri matris adhaerentes circiter duobus mensibus, deinde matri mortem intulerunt, sibi ipsi viuentes. p. 81.

Trimestre secundum.

I. IO. GUST. EDELFELT edit obseruationes miscellas *minerologicas* ad montes Iemtlandiae pertinentes, inprimis de natura et situ stratorum. Incipiunt illae a libellationibus cataractarum, quas olim *Stenius* instituit. Lacus quidam in illis montibus, quem magnum appellant, *Storsio*, vltra superficiem maris (*die Ostsee*) eleuatur vlnis 640, distat a mari milliaribus Suecicis 24. p. 89.

II. Vbi optime operationes sint instituendae ad *montium illorum Iemtlandiae altitudinem supra mare* inuestigandam, inquirit NIC. MARELIUS. p. 103.

III. CAR. WILH. SCHEELE *de acido Citri crystallisando*. Succo mali citrei ebullienti iniicit cretam in puluerem redactam. Eam acido citri saturatam, *calcem citratam* aqua calida eluit, donec infusa aqua, colore omnino orba, rursus abeat. Calci citratae ita lotae adfundit acidum vitrioli aqua dilutum, quae ebulliunt, refrigerantur, filtrantur, gypsum, quod in filtro restat, aqua frigida eluitur, vt acidum adhaerens separetur, acidum, quod trans- p. 105.

iit filtrum, ad conſiſtentiam ſyrupi tenuis euapora-
tur, rurſus ad ſeparandum gypſum filtratur, an ad-
huc contineat calcem citratam, acido vitrioli exa-
minatur, et hoc caſu liberatur eodem acido a cal-
ce cryſtalliſationem impeditura, acidum rurſus fil-
tratur, ſuper orbe ex porcellana facto leni calore
euaporatur, aut ad conſiſtentiam ſyrupi tenuis re-
dactum in loco ſubfrigido reponitur, vbi in cry-
ſtallos coit, ſiccas, humidum ex aëre non attra-
hentes, ita variis vſibus aptas.

p. 109. IV. T. BERGMAN *Obſeruationes mineralogicae.* Suſpicatus erat, cum *terra grauis* non niſi acido vitrioli vnita noſceretur, vbi nomen *ſpati grauis* nanciſcitur, repertum iri, acido aëreo, calci, et aliis terris iunctam. Id experientia confirmauit, reperit enim 1783 D. WITHERING prope Leadhile Scotiae terram grauem, quae cum mero acido aëreo in maſſam duram coierat. Eius ſpecimina cum adhuc exſpectet, aliud quod Dom. SCHWEDIAUER BLAK Edinburgi tradiderat, accepit; in illo centenarii partes calcis 92 ſunt, terrae grauis 8. Porro cryſtalliſationem examinat, Freibergae repertam, et *Stangenſpat* appellatam. Totam reperit conſtare terra graui acido vitrioli ſaturata. LESKIUS Lipſia miſerat mineram Altenbergenſem, ex duabus maſſis ſingulari modo coagmentatam, altera alba, opaca, altera fuſca, lamellis maioribus conſtante, nitente. Prioris, quam *Schoerlum album* nominant Saxones, centum partes continent 52 argillae, 46 ſilicis, 2 aquae, vt ſingularem ſpeciem argillae conſtituat. Altera habet 40 partes ſilicis, 5 magneſiae ab acido aëreo liberae, 9 calcis magneſii martialis, vt ſit varietas micae (*glimmer*). Zeolithorum duae iam varietates innotuerunt, ad chalybem ſcintillas edentes, quas ad id genus pertinere cum analyſis chemica doceat, non licet mineralogo duri-

tiem

tiem ad ſpecificos characteres referre, multo minus ad genericos, porro, cum hae varietates minus ſilicis contineant, alia, ſcintillas non edente, non pendet durities a ſilicis copia. Alia etiam examinat, vt terram, cui nomen *Loam*, cui in Anglia plantae in hybernaculis adſeruandae immittuntur; aliam *Wad* prope *Derbyſhire* in Anglia reperiundam, quae immiſſo in fouea, in fruſto huius terrae excauata, oleo linei inflammatur. Ei multum ſimilitudinis eſſe reperit cum magneſio (*Braunſtein*), quod credit, ſi eodem modo tractetur, flammam editurum.

V. BEN. REINH. GEIER *terras quaſdam* et *lapides ante tubum ferruminatorium* examinauit, *flatu excitato ope aëris dephlogiſticati*, quem *igneum* appellat. Primo agit de variis mediis aërem illum ſatis magna copia obtinendi. Optimos reperit alembicos, ex ferre fuſo (*takjärn*) qui, ſatis craſſi, plures operationes pertulerunt. Tali alembico quartariorum (*quartier*) quinque ſpatium continenti, immiſſae 20 aut 24 ſemunciae nitri, praebent 1300 ad 1500 digitos cubicos aëris dephlogiſticati. Auctо calore ſub finem operationis, expelluntur 400 ad 600 digiti cubici aëris, vehementer olentis acidum nitri, in quo ligneolum accenſum ardeat, vt in aëre atmoſphaerico. Hic quidem aër naſcitur nitri cum ferro detonatione inchoata, itaque ne cum priore dephlogiſticato miſceatur huic frequenti examine cauendum eſt. Equidem non puriſſimus eſt aër dephlogiſticatus in vaſis metallicis obtentus, ſed tamen, ſi inquinamentum quod diximus ſatis arceatur, aeque vehementer agit ad fuſionem tertarum et metallorum, ac is, qui obtentus erat ex nitro in retortis vitreis fuſo. Flatui excitando preſſionem aquae Noſter adhibuit. E terris et lapidibus 30, quos examinauit, vnum alterumue ſal- p. 122.

tim ſpeciminis loco adferamus. Adamantes exigui, politi in illas figuras, quas a *tabula* et a *roſa* nominant, circiter ponderis ¼ carati, lente calefacti, vehementiſſimae deinde flammae expoſiti, nitorem et facies politura datas perdiderunt, perpetuo minuebantur, poſt flatum 2 aut 3 minutorum, tam parvi, vt fluxus aëris illos a carbone auferret. Rubinus, vehementiſſimo calore, paulo minus perſpicuus euaſit, coloris maximam partem retinuit, in globulum vt pars fuſa coiret, effici non potuit, pars fuſa, acie alius rubini examinata, aliquanto mollior facta viſa eſt.

p. 134. VI. PET. ION. BERGIUS obſeruata in *epidemia* variolarum edit. Confirmat, quae ab aliis iam tradita ſunt, vt: frigide habendos aegros. Ad domum paruulis ſuſcipiendis deſtinatam infans variolis laborans in corbe, paucis centonibus tectus, hieme frigido ad portam ponebatur. Receptus frigore per-
p. 140. ſtrictus, paulatim calefiebat. Variolae frigore ita ſubſederant, vt vix amplius apparerent, iam vero calore rurſus attollebantur, et morbum infans feliciter ſuperauit. Vnde colligit BERGIUS, neque vehementiſſimo frigore effici, vt variolae omnino intra cutem recedant. In locis, vbi aegri ex variolis decumbunt, ne contagium alio deferatur, nec ipſe conſidet, nec pileum aut ſimilia in ſellas reponit, manus, poſtquam tetigit varioloſos, lauat, inprimis portis allini contagium credit ab iis, qui aegris miniſtrant.
p. 151. Veras variolas, eundem hominem bis adoriri nunquam vidit, neque ei, cui recte inſertae fuerunt variolae, rurſus iis laboraſſe. Durauit epidemia, inde ab exitu Auguſti 1783 ad initium Maii 1784, quo tempore, *Holmiae* hoc morbo obierunt homines 1043. Vnde colligit, quanti reipublicae interſit, inſitis variolis, hoc malum praecaueri.

VII. GLAU-

VII. CLAUDIUS ALSTRÖMER deſcribit *inſtru-* p. 155.
mentum, fundo maris examinando. Coeperunt Sueci, halecibus minoribus, quos *Sill* appellant, vti ad eliquandam pinguedinem, quae adhiberi poſſit loco eius, quae ex cetis eliquatur (*Trahn*). Obiectum, quod poſt cocturam quiſquiliarum in mare fertur, et fundum maris altiorem reddere cum nauigationis impedimento, et ipſis illis piſcibus nauſeam excitare, qua efficiatur, vt loca illa derelinquant. Itaque cogitatum eſt de methodo fundum maris iis in locis examinandi. Id ſatis ſimile eſt terebrae ſic dictae metallicae. Qualis repertus ſit fundus maris non refertur, id ſaltim narratur, pertigiſſe inſtrumentum ad 10 pedes infra fundum maris, ſupra quem aquae ſuperficies attollebatur pedibus 21, vt longitudo inſtrumenti fuerit pedum 31.

VIII. NIC. LANDERBEK formulas vſui aptiſſi- p. 158.
mas exhibet *variationi curuedinis et radii curuaturae* inueniendis.

IX. ANDR. SPARRMAN deſcribit *Lacertam ame-* p. 164.
ricanam: cui nomen *Sputator;* habitat in ligno, et adeo aedibus ligneis inſulae St. *Euſtachii* nemini nocens, niſi irritetur, tunc inimicum conſpuit ſucco nigro, puſtulas in locis corporis, in quae incidit, excitante, quae vero facile ſanantur ſpiritu vini camphorato, et illo liquore, quem *Rum* appellant. Longitudo eſt 2 digitorum a naſo ad anum, cauda $2\frac{3}{4}$ digiti. Eſt: cauda tereti mediocri, ſubtus ſerie ſcutorum longitudinaliter inſtructa, corpore cinereo ſupra faſciis albis, colore hepatico antice poſticeque marginatis, notato.

Trimeſtre tertium.

I. ANDR. SPARRMANN alteram *lacertam* ameri- p. 169.
canam deſcribit, *bimaculatam* (v. Trim. II. art. 9.)

Vtraque Praepoſitus ACRELIVS ditauit collectionem Perill. DE GEER. Defuncto poſſeſſore, a vidua Academiae R. S. traditum. Eſt: cauda carinata, denticulata, corpore duplo longiore, digitis palmarum, plantarumque, lobatis. Et huius, et prioris, icones exhibentur.

p. 172. II. D. MELANDERHIELM de *integratione aequationis alicuius differentialis.*

p. 180. III. DAN. WILH. SCHEELE *de partibus conſtitutiuis terrae Rhabarbari.* Eam vt obtineret, radici in puluerem non valde tenuem comminutae, calidam infudit, quae mucilaginoſum extraheret, et filamenta diſſolueret. Subſidit terra, ſpecifice grauior particulis Rhabarbari, tunc eluitur, donec omnino alba fiat. Ita ex libra Rhabarbari Indiae orientalis, 4½ ſemuncias terrae ſiccatae, intra digitos arenam referentis obtinuit. Eius partes conſtitutiuas re-

p. 184. perit: calcem, acido acetoſellae ſaturatam. Vitriolicum eſſe acidum, quod *Modelius* aſſeruerat, omnino negat. Acidum acetoſellae cum difficulter ab alcali ſeparetur, methodum id perficiendi docet, reperit vero, acidum, quod ars ex ſaccharo ope acidi nitri obtinet, a natura paratum haberi in Acetoſella.

p. 187. IV. CLAUD. ALSTRÖMER de *ellychniis, quae non fument.* Cum varia de illis in diariis Gallorum legantur, ipſe tentamine inſtituto reperit ellychnium lampadi inſerendum, latum eſſe debere, taeniolae ad modum, parum habere craſſitudinis, et parum ex lampade prominere, ita aëre liberius accedente ad latam vtriusque ellychnii ſuperficiem, ita auget vehementiam ignis, vt materiam, quae ad ellychnia vulgaria in fumum abit, omnino comburat.

p. 193. V. BENED. REINH. GEIER deſcribit et delineat *machinam*, cuius ope *aër dephlogiſticatus flatu diri-*

dirigi poſſit in flammam, per tubum ferruminatorium. Vtitur preſſione aquae.

VI. ANDR. IO. LEXELL exhibet *integrationem aequationis alicuius differentialis.* p. 197.

VII. IO. L. ODHELIUS de *cataracta venerea et eius operatione.* Duos caſus huc pertinentes enarrat, ex quibus colligit, inflammationes, quae ſolent operationem cataractae ſequi, poſſe ſynizeſin pupillae producere, qua viſus tollatur, id vero eo magis metuendum eſſe ab humoribus veneno venereo contaminatis. Igitur *coecis, qui lue venerea laborarunt, pupillam vtrinque ſcindendam eſſe.* p. 204. p. 208. Porro, feminae, de qua altera eius relatio agit, exemplo docet, non neceſſario viſus defectum ſequi, magna quantitate humoris vitrei perdita, id quod ſolari eum poteſt, cui copioſus effluxus eius humoris ex improuiſo accidit, non vero ſuadet conſulto efficiendum eſſe, vt eius multum exeat.

VIII. BENED BIÖRNLUND *decocti corticis pruni* vſum eſſe non contemnendum docet, in *levioribus morbis venereis*, vbi curatio eius ſolius ope poteſt abſolui. In noſocomio, vbi publicis impenſis aegri curantur, ad accelerandam curationem mercurius adhibitus eſt. p. 209.

IX. IO. GADOLIN de *corporum calore abſoluto.* p. 218. Poſito, calorem in corporibus, qui vnitis illis aut ſeparatis, aut qualitate illorum vtcunque mutata, vel abſorbetur vel liberatur, vnice determinari per ſpecificum corporum calorem, eiusque mutationem docet, quomodo datis maſſis plurium corporum, p. 221. quae vniuntur, ſpecificis illorum caloribus, item temperaturis, quas thermometro applicato oſtendunt, porro datis mixti calore ſpecifico item temperaturo, abſoluta caloris quantitas reperiatur. Eſt vero opus, vt ſpecifici calores quam exactiſſime ſciantur, in quibus ſi leniter erratum ſit, multum

tum abſolutus calor variatur. Ex experimentis cum niue et aqua inſtitutis colligit, poſito niuis calore ſpecifico = o, 9; gradum thermometri Sueci, qui reſpondet calori abſoluto = o; eſſe 800
p. 223. infra punctum congelationis. Inſtituit etiam experimenta cum ſalis ſolutionibus, item mixturis aquae et acidi vitrioli, quibus omnibus, numerum illum, quem diximus, vero ſatis propinquum eſſe confirmatur. Repeti autem et variari experimenta optat.

p. 236. X. ANDR. SPARRMAN deſcribit *murem pumilionem* ex Africa meridionali. Ab aliis omnibus diſtinguunt eum lineae quatuor dorſales longitudinales nigrae. Icon exhibetur.

p. 238. XI. CLAUD. BIERKANDER de *ſaccharo abietis*. Eum prima vice reperit 9 Iulii 1784. Productum aphidum eſſe, obſeruatione didicit. Dum fluidum eſt, a formicis aufertur, mox vero dureſcit.

p. 240. XII. SAM. ÖDMAN de *furore heroum borealium* antiquorum, quos *Berſerkar* vocant. Narratur, eos maximis periculis, igne et ferro nihil territos, in hoſtium multitudinem vtcunque magnam irruiſſe. Poſtquam ceſſauit furor, debiliores vulgari homine fuiſſe. Omnino ſimilia eſſe docet haec iis, quae narrantur de orientalibus ab opio furentibus, *Ramuk* appellatis. Sed cum nulla veriſimilitudine dici poſſit, nouiſſe boreales opium aut eius ſuccedaneum, quod ex papauere noſtrate paratur, alia inebriantia examinat, nullum vero reperit, quod melius huc quadret, *Agarico muſcario*, quo genere boreales ſe inebriant, vires etiam ad aliquod tempus ſolito maiores ſibi comparare narrantur. Huic hypotheſi optime conuenire cum iis, quae de heroibus illis tradantur, collatis hiſtoricis argumentis confirmat.

Tri-

Trimestre quartum.

I. HENR. NICANDER continuat theoriam *machinae spiralis.* p. 249.

II. GUYTON DE MORVEAU, Aduoc. Gen. Parlamenti, et Cancellarius Academiae Diuionensis, *tentamen, menstruum naturale Quarzi, inuestigandi.* Cum quae Cl. ACHARD de crystallis ope aquae acido aëreo saturatae producendis edidit, aliis non succesſerint, illi quidem relinquendum est, vt ipse rem in maiore luce collocet. Neque credit Cl. DE MORVEAU Cl°. ACHARD, menstruum, ex quo gemmae coierint, ipso crystallisationis momento omnino abiisse; id enim et aduersari legibus solutionis, et exemplis corporum refelli, quae partem menstrui sui contineant, etsi ab illo non amplius soluantur. Ita spatho calcareo plurimum aquae in est, etsi ab aqua non soluatur. Quod materia aliqua a menstruo certo non soluatur, inde nasci potest, quod debitae rationi inter menstruum et id, quod solui debet, locus non sit. Sic mixtum ex auro et argento non soluitur in acido nitri, etsi quaeuis eius particula metallum contineat, in acido illo solubile. Certiorem iudicat noster alteram partem theoriae Cl. ACHARD. Iam enim certum esse, quod crystallus et quarzus ex fluido coierint. Id vero esse aquam acido aëreo foetam, cum iis in locis, vbi crystalli reperiantur, aliud fluidum cogitari non possit. Eam theoriam sequutus, aquam pluuiam puram filtratam, aquae calcis item ex pluuia praeparatae mixtam, acido aëreo saturauit, illa lagenas impleuit, quibus frustula crystalli indidit, vni sola, alteri cum terra aluminis, subere obturauit, vesica obligauit, inuersas in loco, vbi per 9 menses et aliquot dies quiescerent, reposuit. In his quidem, deinde apertis, nihil vidit, quod multum praesentem quaestionem illu- p. 272.

illuſtraret. Tertiae vero lagenae, etiam aqua calcis mephitica plenae, indidit nouem fruſtula cryſtalli montanae, et fruſtum ferri longum digitos 5, latum craſſum $3\frac{1}{2}$ lin. lima in quatuor planis lateralibus politum. Aperta lagena, aqua euaporationi expoſita, reſidua manſerunt grana duo terrae martialis, a ferro ab aqua adroſo; eam terram magnes non attraxit, adhaeſit tamen angulis ſuperinducti, non efferueſcebat cum acido nitri, et parum ab illo ſolvebatur. Cryſtalli, quae $27\frac{1}{4}$ grana ponderauerant, iam ponderabant 27, etſi terra martiali adhaerente tectae, ceterum nihil politurae, quod notari poſſet, perdiderant. Fruſtum ferri rubigine obductum erat, a quo lauabatur, certe illud ducendo per aquam puram deſtillatam, deinde ſiccabatur in aëre libero. Aliquot dies poſt, microſcopio, quod parum augeret, examinatum ad marginem vnius laterum, exhibuit punctum ſplendens, vitro ſimile, velut tubere quodam circumdatum, et eius ope ferro adhaerens, tuber illud iuxta marginem extenſum, conſtabat terra martiali. Figura huius cryſtalli, ob exiguitatem, ſatis certo deſcribi non poteſt, repetitis vero obſeruationibus, et auctori et aliis, viſa eſt includi planis regularibus in pyramidem coeuntibus. Aliis etiam ferri locis adiacent puncta cryſtallina, minus ſplendentia, quorum figuras nec quidem microſcopium fortius, diſtinctas exhibet. Ad hoc experimentum repetendum Cl. DE MORVEAU Chemicos inuitat.

p. 283. III. BEN. REINH. GEIJER *quomodo metalla ſe habeant* ante tubum ferruminatorium, *flatu aëre dephlogiſticato excitato.* Inſtituit experimenta ERICUS SWARZ, Collegii regii metallici notarius vicarius, ab illis perficiendis et augendis morte praematura impeditus. Itaque *Geijer* pauca edit, quibus ipſe adfuit: v. c. Argentum puriſſimum (16 *löthig*)

thig) ſuper carbone funditur, fumat, volatile redditur. Orbis nitens cupreus, in vicinia flammae, ſed tamen ad diſtantiam plurium digitorum, tenui lamella argentea obducitur. Scoriae nullae obſervantur. Ferreum filum circiter $\frac{1}{10}$ digiti decimalis in diametro, celerrime funditur defluentibus ſcoriis, vt tempore paucorum ſecundorum, filum pedis longitudine, ſucceſſiue flammae immitti poſſit.

IV. CAR. PET. THUNBERG narrat de variis *Loxiae* ſpeciebus *ad Caput B. Spei* reperiundis. Sunt illae L. Aſtrild, ſulphurata, capenſis, orix, quod gregibus copioſiſſimis agros infeſtet, maxime nocua; *Caffra* nondum deſcripta, cuius hi eduntur characteres: *L. caffra*, atra, remigibus fuſcis, humeris ſanguineis; Roſtrum conico-gibbum, cinereo-fuſcum, acutum. Remiges cinereo-fuſcae, marginibus albis. Tectrices albae, humeri ſanguinei. Pedes griſei. Corpus totum, exceptis remigibus, atrum, magnitudine L. pyrrhulae, ſed paulo longius. Cauda corpore longior, hinc auem volantem impedit nunquam celeriter volat; flante vento, directe volatum ſuum non proſequitur, ſed viam obliquam deſcribit; dum pluit, interdum manibus capi poteſt. p. 286.

V. IONAS DRYANDER edit animaduerſiones in genus plantarum, cui *Albuca* nomen eſt; additis nouis *tribus ſpeciebus*. Cum LINNEUS, in ſexta editione Gen. Pl. primum Albucam ab Ornithogalo ſepararet, deſcriptionem ſaltim ex duabus ſpeciebus confecit, aut forte ex *A. maiore*. Itaque character eius genericus non quadrat in omnes ſex ſpecies iam notas. Hinc nouum characterem genericum edit Cl. Auctor; vbi character eſſentialis eſt: *Cor.* infera 6 petala, petalis exterioribus patulis, interioribus conniuentibus. *Stylus* triqueter. Iam habitum generis deſcribit. Species habet * *ſtaminibus* p. 289.

*nibus tribus ſterilibus ; ** ſt. omn. fertilibus.* Huc refert ſex *Albucae* ſpecies, item ad ſubdiuiſionem ſecundam, Alb. *abyſſinicam*, cuius figuram IACQUIN edidit in iconibus plantarum, etſi dubitet, an ex Abyſſinia ſit.

p. 299. VI. IOSEPH. CŌLEST. MUTIS Bot. et Aſtron. Reg. Exped. Bot. Americ. Praef. nouum plantae genus americanum deſcribit, cui nomen eſt *Pera arborea*. Planta dioecia eſt. Icon exhibetur. Creſcit arbor in regione Mariquita, latit. bor. 5 Gr. 20. Min. Stamina plura habet, piſtilla diſtincta quatuor, petalum vnicum ſemigloboſo concauum dependens.

p. 301. VII. *Falconis Haliaeti* Suecis *Fiſkljus* hiſtoriam illuſtrat LAUR. OEDMAN. *Falcones* cum BRISSONIO ab *Aquilis* ſeparandos eſſe, ita vt aquilis roſtrum ad radicem rectilineum ſit, ſaltim ad apicem curuetur, *Falconibus* ſtatim ad ceram curuari incipiat. Ita niſi diſtinguantur roſtra aquilarum et falconum, non ſeiungi poſſe *Aquilam Leucorypham* a *Falcone Haliaeto* LINN. BRISSONII *Haliaetum* verosimilius eſſe Leucorypham, cum ad aquilas pertineat. LINNEUM Haliaeti pedem *ſubpalmatum* dixiſſe, non quod ipſe hoc crediderit, cum Com. BUFFON iam id redarguiſſet, ſed vt indicaret, aui hoc ab antiquis tributum eſſe, etſi falſo. Propria experientia edoctus narrat, non humi habitare Haliaetum, inter arundines, ſed in arboribus, inprimis pinubus. Oua nunquam plura tribus reperit, aliter etiam comparata, quam ab auctoribus deſcribuntur, quibus obfuiſſe videtur confuſio cum alia aue, propter roſtrorum differentiam accuratius non obſeruatam. Multa alia habet, de oeconomia rapacis auis et nocuae.

p. 309. VIII. ZACHARIAS Z. PLANTIN methodum tradit *conſtruendi et computandi corpus cuneiforme* certae *carbonum* quantitatis capax.

IX.

IX. ARVID FAXE refert *de ruſtico, ſenſibus* p. 315.
omnibus internis et externis orbato, poſt XII annos ſubito reſtituto. Nomen viri *Oluf Oluſſon.* Iunio 1771 in febrem incidit, doloribus, ardore vehementiori et capitis doloribus eum infeſtantem, cuius ſub initium ceſſauit ſtatim facultas loquendi, mox deficientibus etiam ſenſibus internis et externis. Menſe elapſo ceſſarunt ardor et febris, ſed corpus adeo erat extenuatum, vt vix appareret aliquid carnis muſculoſae, ſed ſpeciem exhiberet ſceleti cute obducti. Dorſo immotus incumbebat, manibus ſupra pectus poſitis, pedibus extenſis, oculis plerumque clauſis. Ita vſque in aeſtatem 1782 decubuit, non alio nutrimento vſus, quam pauxillo lactis, quod ipſi infundebatur, interdum cochleari vini aut ſpiritus frumenti, item fruſtulo tabaci, quod manducaret. Nunquam poſtulauit nutrimentum, interdum 4 aut octo diebus nihil lactis accepit. A decubitu diuturno vulnera nulla ipſi nata ſunt, quoniam nihil fere ipſi erat carnis aut pinguedinis. Frater, *Andreas Oluſſon*, ſummam aegri curam habuit. Aeſtate anni 1782 balnea adhibita ſunt, herbis inditis, quae non nominantur. Quo ſaepius repetito, ſenſatio et vires paulatim redire viſae, intellectus autem operationes nullae apparuerunt, triſtis viſu fuit, et horrens homines. Lecto ſurgere iam potuit, ſed id non fecit, niſi a nemine conſpectus. Paulatim eum frater extra domum duxit, alios cibos praeter lac praebuit, etſi ſemper lac maxime amaret, caput aqua ex fonte aliquantum a domo diſtante lauit. Ita viſum, auditum, ſenſationem recuperauit, ceterum maxime debilis loqui non poterat, parum intelligendo valebat, conſuetudine tamen edoctus ipſe ad fontem ibat, ex quo caput lauaret. Mane, diei VIII Aug. 1783, cum aquam ex fonte hauſiſſet, et in loco

domus conſueto eſſet, vbi commorabantur frater, ſorores duae, et alii ex familia, vt ad templum accederent veſtimenta induentes, dum caput lauaret, toto corpore et artubus contremuit, tenui voce pronuncians: *Domine Deus! quam mira res? Vbi fui tam longo tempore?* Eodem momento ex vena in ſincipite circiter 6 guttae ſanguinis profluxerant, eadem quantitas ſanguinis exiit ex margine externo naris dextri, item ex menti medio. Simul loqui potuit, quae vellet, intellectus vires recuperauit, omnes in domo et extra domum nominauit, quos ante morbum nouerat, miratus aetate adeo prouectos videri; alios non nouit, etſi, durante morbo, quotidie ante oculos habuiſſet. Morbum pro ſomnio habuit, neſcius, quantum durauerit. Vt vero eorum, quae ante morbum acciderant, ſatis bene reminiſcebatur, nihil eorum ſciebat, quae durante morbo contigerant. Cum ad coenandum cum familia accederet, preces recitare voluit, et id ſatis ordinate perfecit. Aliquot diebus poſt S. Synaxi vſus, quae ad dogmata religionis pertinent, bene ſe memoria tenere, et percipere, oſtendit. Vulnera, ex quibus ſanguis profluxerat, cicatricibus obducta ſunt. Cum primo loquelam receperat, tenui voce vſus eſt, iam maſcule pronunciat. Oculi aliquantum diſtorti ſunt, forte quod ſtrabo eſt. Ceterum ipſe optime valet, et peragit conſuetas operas. Aetatis iam agit annum 41. In omnia haec diligenter ſe inquiſiuiſſe, et confirmata accepiſſe a teſtibus fide dignis profitetur ſcriptor.

p. 319. X. CLAUD. BIERKANDER edit *Calendarium inſectorum* anni 1774. Qua die laruae primum viſae ſint, et in pupas abierint. Subiungit varia obſervata. Phalaenae *pomonellae* larua hyemem peragit intra malorum vetuſtiorum corticem, vere pupa fit. Vnde intelligitur, cur malorum vetuſtiorum poma

fere

fere ſingula laruas contineant. Noua eſt Ph. *fraxinella*, quam aeque ac laruam deſcribit. Ph. *crataegellam* primum in monte *Kinne kulle* 1763, tertio die Iulii reperit Profeſſor a LINNE'.

XI. Ex *diario* Academiae huc transferri poteſt, p. 330. ERICUM SUNDERBERG teſtamento Thaleros circiter octingentos praemium conſtituiſſe, illi tribuendum, qui remedium certum et tutum inuenerit, calculo renum aut veſicae, huic quidem abſque operatione, funditus tollendo.

II.

Conſpectus medicinae theoreticae in vſum academicum, Auctore IACOBO GREGORY, M. D. Medic. theoretic. in acad. Edinburg. profeſſ. Colleg. Reg. medic. Edinburg. ſoc. ſociet. Reg. medic. Edimb. ſodal. honorar. et ſociet. philoſoph. Edinb. ſodal. eiusdemque a ſecretis. Editio altera auctior et emendatior. Vol. I. Edinburgi apud Guil. Creech; Londini, apud T. Cadell et P. Elmsly; et Lipſiae apud Gleditſch. 1782. in 8v. 403 pagg. in gr. 8v. Vol. II. ibid. eod. 650 pag.

Mos in magna Britannia idem, qui in Germania noſtra, inualuit, vt librorum medicinalium pars longe maxima vernacula lingua conſcribatur, vtque omnes medicinae diſciplinae in alma Edinenſi vernaculo ſermone doceantur. Monitus adeo a bibliopola Illuſtris quondam Auctor, *parum ex re ſua fore latinum librum ſcripſiſſe, paucos enim nunc exiſtere talium librorum aut lectores aut emtores*; a propoſito tamen ſuo non deſtitit, ſed inſtitutiones ſuas latino ſermone conſcripſit, in quibus

phyſiologiam, pathologiam et therapiam generalem hoc ordine modoque hactenus nouo complexus eſt, vt expoſito ſano functionis aut actionis corporis humani cuiuscunque ſtatu, doctrinam de morbidis ac praeternaturalibus eiusdem actionis mutationibus ſtatim ſubiungeret, eoque modo doctrinis phyſiologicis aegri corporis animati ſtatus ſcientiam ſubnecteret, vtili ſane admodum, licet a ſueto ſtudia medica tractandi more alieno, etiam ab illuſtri TISSOTO in libro nuper edito de medicinae ſtudio perfectiori reddendo, cuius cenſuram in commentariis noſtris dedimus *), admodum probato et aliis ad imitandum commendato.

Praeclara penitus ſunt, quae doctiſſimus quondam Vir de latini ſermonis praeſtantia in eruditorum libris ſcribendis profert, quae ipſe longa experientia vſuque rerum continuo vidit didicitque. Nondum ſe vidiſſe aſſerit praeclarus vir, effreno iſto ſtudio omnia vernaculo ſermone ſcribendi ſtudia aut breuiora, aut faciliora euaſiſſe, ſcientiamque medicinae hoc ſtudio aut hactenus aliquid profeciſſe, vnquamue eſſe aliquid profecturam imo vereri ſe profitetur, ne tempus quandoque veniat, imo ingruat, quo, exſtincta latini ſermonis face, quae primam lucem praebuit, amiſſoque duce, qui per aſperum ſcientiarum iter homines feliciter duxit, in priſtinam relapſurae ſint caliginem. Non autem nouitatis ſtudio ductus in nouis opinionibus adſtruendis, defendendis occupatus eſt, ſed potius in his, quae quemlibet ſcire oportet, rite et hoc modo exponendis, vt omnia in praelectionibus vberius explicentur. Anatomicas res omnes ſedulo vitauit ab officio ſuo alienas. Pathologiam chirurgicam omiſit, nec non externorum medicamentorum

* Vid. Commentar. noſtror. Vol. hui. P. III. pag. 42[illegible]

rum theoriam ad chirurgicam disciplinam pertinentem. Vsum tantum partium, et functiones viui corporis morbosque, qui singulas istas functiones impediant, et principia generalia de remediorum viribus atque effectibus in talibus morbis sanandis docuit. Doctrinam de mentis humanae functionibus eiusque cum corpore nexu coniecturas quam leuissime tetigit.

Expositis tandem copiosissime theoreticorum erroribus innumeris in praefatione 70 paginarum, veraque via, quam in theoriis medicis ingredi oportet, stabilita, ipsum opus incipit, cuius prima pars physiologiam et pathologiam complectitur.

Primum caput *de functionibus viui corporis, de natura et caussis morborum, de viribus corpori insitis, quae sanitatem tuentur morbosque depellunt, et de natura, viribus, actione medicamentorum* agit. Pertractantur in eo generatim, et introductionis quasi loco, functiones corporis vitales, naturales, animales, morborum definitiones, sanitatis signa, symptomatum diuisiones variae et medicamentorum actiones generatim.

Altero capite *de solida materie, ex qua corpora animalium fiunt, variisque eius dotibus tum chemicis tum mechanicis, de coniecturis circa eius fabricam, de tela reticulata et de adipis origine, natura, vsu* agitur. A solidis tractationem incipit, quum hae partes lentius mutentur, renouentur. — Caussa adhaesionis elementorum vniuersae compagis solidi animalis non aëri fixo aut elemento alii speciatim tribuitur, verum verosimilius Cl. viro est, singula elementa semet inuicem attrahere, nullum reliquis vinculo esse. Mephitici aëris exhalatio putredinis non caussa, sed comes est. Notitia caeterum de solidi animalis dotibus chemicis semper imperfecta est, hoc tamen boni praestat, vt naturam et

cauſſas quorundam morborum ſatis detegat medicosque ad idonea medicamenta perducat. — Tela celluloſa ſecundum HALLERUM pertractatur, ſed omiſſis pluribus ad eius phyſiologiam ſpectantibus, ſimulque mutationes eiusdem telae morbidae, inprimis praeternaturalis generatio telae celluloſae et morbidae viſcerum concretiones inde natae pertractantur. Vbicunque magna moles aut compreſſio periculo aut incommodo fuiſſet, nullus adeps in tela celluloſa colligitur, ſecernitur vero, vbi vis reſiſtens minor vt inter muſculos, in omento, caet. eſt. Adeps parum ab oleis vegetabilibus expreſſis differt, veroſimile autem eſt, oleum per digeſtionem, partim in ventriculo et inteſtinis, partim in pulmone, in gluten conuerti, et hoc iterum per ſecretionem in oleum conuerti; nulla enim adipis organa ſecernentia nota ſunt. Adipis copioſa ſecretio a temperamento corporis humani maxime pendet, nec homo vt bos ſaginari poteſt, (quod tamen fere negauerim; quies enim et copioſus victus nutriens plurimos obeſos reddit, morboſo ſaltim modo, eodem, vt in bobus.) Agitur tandem de vſu adipis.

p. 57. Cap. III. *de ſolido viuo, ſeu genere neruoſo eiusque dotibus, et fabrica et vſibus, et de coniecturis, quae circa eius naturam et actionem prolatae ſunt.* Muſculorum ex neruis origines dubiae admodum ſunt, quum in foetu, cerebro adhuc molli et fere fluido exiſtente, muſculi conſpiciantur inſigne roburiam adepti. Hinc muſculi ex diuerſa conſtituti ſint materia oportet ab ea, ex qua nerui fiunt. Tam arctus autem inter muſculos neruosque intercedit nexus, vt merito omnia ſolida viua pro partibus eiusdem generis habeantur, cui nomen genus nervoſum a medicis imponitur. — Senſuum et motuum explicationes variae ex neruis inſtar chorda-

rum

rum vibrantibus, ex neruoſo fluido, ex aethere per vniuerſum rerum naturam expanſo, enarrantur; ſed omnia haec Cl. vir pro commentis habet, ad inutilia, incomprehenſibilia, abſurda fortaſſe, ducentibus, ſatisque eſſe putat, ſi medici ad ſingulas res factas et veras de hoc argumento inueſtigandas ſemet grauiter accinxerint.

Cap. IV. *de ſenſu eiusque varietatibus et vſibus et voluptatibus et moleſtiis et vitiis.* In ſenſu duae res ad eum pertinentes exacte diſtinguendae ſunt, mutatio, quae in animi ſtatu efficitur, nullis verbis deſcribenda, ſimpliciſſima, rei externae, quae ſenſum excitat, diſſimillima, et perceptio, ſeu notitia qualitatis cuiusuis rei externae, quam ſenſus nobis repraeſentat. Fit autem ſenſus in homine ſano et vigile, quandocunque ſtatus partis cuiusuis generis neruoſi aliquantum mutatus fuerit, ſiue iſta mutatio ab externa cauſſa, ſiue ab interna facta fuerit. A priore cauſſa nati ſenſus ab impulſu dicuntur, a poſteriori, a conſcientia. Ab impulſu vehementiore dolor fit, ſine diſtincto ſenſu, ſtupor a vehementiſſimo impulſu. Attentio a voluntate quodam pendet modo; plerumque tamen ſenſibus nouis, iucundis, validis datur. Senſus externi omnes ad tactus ſenſum referendi ſunt, viſu excepto. Senſus caeterum omnes voluptates et vitia moleſtiasque ſuas habent, ex variis naturae legibus, quae copioſe exponuntur, explicandas.

Cap. V. *de tactu eiusque vitiis, et de dolore, anxietate et pruritu.* Toti generi neruoſo tactus communis eſt. Dubium et coniecturale eſt, papillas neruoſas in digitis influente ſanguine quodam modo in tactum erigi. Nimis acutus tactus praeter naturalem in modum, ſi vnquam, rariſſime obſeruatus eſt, rariſſime, niſi forte inter delirium depravatur. Simul de dolore, eiusque cauſſis, ſympto- p. 92.

matibus, iisque, quae dolorem intenſiſſimum ſequuntur, ſermo eſt.

Cap. VI. *de guſtu, eius vſibus, varietatibus et vitiis.* Perfecte, a cerebri et neruorum vitio guſtus raro deficit, obtuſus in his eſt, qui parum olfactus habent. Saepiſſime propter ſaliuae defectum deficit, hinc obtuſus in morbis compluribus.

Cap. VII. *de olfactu eiusque vſu, varietatibus et vitiis et de odorum natura eorumque effectibus in corpus humanum.* Deprauatus is olfactus, vbi odores percipiuntur, vbi nil odorati fuit, ex particulis odoratis explicatur, quae diu in naribus haeſerunt demumque eruperunt, nec non ex narium vitiis localibus.

Cap. VIII. *de auditu, ſonis, auditus vitiis, aurium tinnitu.* Partium auris internae actiones nondum ſatis notae ſunt, per dentes adeo, maxillam et petroſum os ſoni ad vltimam neruoſam aurem peruenire videntur.

Cap. IX. *de viſu eiusque varietatibus et vitiis.* Vſus variorum oculi humorum, praeter cryſtallinam lentem, is eſſe videtur, vt ab alieno colore, quem vnica et ſimplex lens dediſſet, propter radios lucis inaequaliter refractos, praecaueretur. Vtilitatem inſuper humor vitreus eam habet, vt globum oculi impleat, retinam diſtendat, vt concavam ſphaeram repraeſentet, quo plura eius puncta imagines rerum viſibilium diſtinctas et accuratas accipiant. Quod alter oculus alterius motum ſequatur, ex conſenſu inter binos oculos explicatur (nos ex acie oculorum amborum ad obiectum dirigenda explicuiſſemus, altero oculo captorum exemplo, in quibus captus oculus motum ſani non ſemper ſequitur.) Strabiſmi veroſimiles origines nonnunquam in retinarum vitio ſitae ſunt, ſi v. c. ſolita earum puncta, centra non conſentiunt. Euaſiſſe-

ſiſſemus omnes ſtrabones, ſi neruus opticus non oblique oculum adiiſſet, ſed centrum retinae occupaſſet. Agitur ſimul de vertigine, quoad origines et ſymptomata eius.

Cap. X. *de ſenſibus, qui dicuntur interni, memoria,* p. 148.
imaginatione, iudicio eorumque varietatibus et vitiis. Quum de his omnibus animi functionibus ne certa quidem hactenus coniectura fuerit prolata, morbos earum hactenus parum intellectos eſſe facile etiam perſpicitur. At habet haec functio ſuos morbos graues, attentione ſumma dignos, nimirum qui mentem vitient, inutilem reddant. Mente captis iudicium ſanum vtplurimum eſt a falſis principiis. Delirium (febrile praeſertim) in duo genera a Noſtro diuiditur, ferox iſtud, furioſo accedens, et mite, magis lethiferum, in tendinum ſubſultus vtplurimum deſinens. Locales cerebri adfectiones anatomica disquiſitio in deliribundis ſaepe detexit, inprimis ſanguinis in cerebro congeſtiones, inflammationes, ſed ſubinde in deliriis genus nervoſum magis, quam ſanguinis motus, laborat (oblitus eſt omnino praeclarus vir delirii febribus gaſtricis ſuperuenientis ex ventriculi cum capite conſenſu nati).

Cap. XI. *de motu muſculorum.* Contractionis p. 165.
muſculorum ratio diu fruſtra multumque quaeſita adhuc latet. Praeter reſiliendi vim muſculi aliam adhuc habent, tonicam, a diſtentione, quae ipſa ſtimulus eſt, natam, in his, qui plena vaſa habent, admodum conſpicuam, neruoſam, a neruo irritato pendentem, qui muſculum adit, animalem, a voluntate pendentem. Agitur ſimul de animi adfectibus eorumque in muſcularem motum, muſculorumque formam influxum, de naturali lege, qua ad alios imitandos ducimur, de inſtinctu hominum et animalium motus muſcularis cauſſa, appetitu va-

rio, propenſionibus, ſympathia neruoſa. — Conſenſus generalioris fontes tres ſunt. Cerebrum cum neruis omnibus, adeoque cum vniuerſo corpore, peculiarem conſenſum habet, ventriculus cum toto corpore conſenſum alit, cutisque nec non reticulata membrana vaſis neruisque probe inſtructa cum toto corpore in conſenſu eſt. Conſenſus etiam particulares plurimi ſunt, naturales alii, alii morboſi. Ad hos conſenſus inter renes et ventriculum, nares vel aſperam arteriam et ſeptum transverſum, caet. referendi. De omnibus conſenſibus monendum eſt, licet plurium explicatio nondum data ſit, eos a nexu pendere, quem omnes partes cum cerebro habent, idque certo adfectum modo vel ſtatum vniuerſi ſyſtematis neruoſi mutare, vel partes ſaltim quasdam, prae ceteris, in motus concitare. Conſenſus inter partes a ſe longe diſtantes alio, quam per neruos, modo explicandi admodum rari ſunt.

p. 197. Cap. XII. *de vitiis motus muſculorum, mobilitate nimia, torpore, paralyſi, ſpaſmo.* Mobilitas a vigore diligenter diſtinguenda. Mobilitas eſt, qua fibrae muſculares ad contractionem citantur, vigor contra vis eſt, qua contractio perficitur. Torpor mobilitas imminuta eſt. Debilitas eſt, ſi motus muſculorum iuſta vi non perficitur. Summa debilitas paralyſis eſt, muſculorum vi vel penitus, vel paene deleta.

p. 208. Cap. XIII. *de ſomno eiusque vſibus, cauſſis, varietatibus, vitiis, defectu, exceſſu, eorumque noxis et de ratione et cauſſis ſomniorum.* Cauſſa ſomni adhuc latet. Male neruis fluido ſuo exhauſtis et repletis viciſſim tribuitur, nec melius a compreſſo cerebro oriri creditur. Docent omnia, quae ſomnum comitantur, ſigna, vniuerſi generis neruoſi

et

et inprimis cerebri ſtatum a ſomno multum mutari; qualis vero iſta mutatio fuerit, non docent.

Cap. XIV. *de ſanguinis circuitu.* In moribundis ventriculus cordis ſiniſter primum quieſcit, deinde auricula eiusdem lateris, nullo ſcilicet ſanguine, vel parum, per pulmones iam transmiſſo. Adſeritur, motum ſanguinis prope cor velociſſimum eſſe, multo lentiorem in minoribus et remotis ramis arteriarum, nulla peculiaris vis oſcillatoriae, quae minimis fibris arteriolisque tenaciſſime et efficaciſſime inhaeret, ratione habita.

Cap. XV. *de motus ſanguinis varietatibus et vitiis.* De pulſibus fuſe agitur, eorum varietatibus, exceſſibus, defectibus cauſſisque harum mutationum. Intermittens pulſus, qui quibusdam in ſano ſtatu communis eſt, et in aliis, dum vel leuiter aegreſcunt, obſeruatur, hyſtericis et ex hypochondriis laborantibus frequentiſſimus, ob praecordiorum anxietatem moleſtiſſimus, oriri videtur vel a vi neruoſa in cor aliaque organa circuitum promoventia inaequaliter influente, vel a fracta iam et exhauſta neruoſa vi et corde vix amplius ad contractionem valente, neque ſe deplente, donec plus ſolito diſtentum fuerit, vel denique a cordis vicinarumque partium localibus vitiis. — Agitur poſtea de motu ſanguinis nimis intenſo, languente, abnormi. Abnormis motus a ſtimulo quocunque, ſpaſmo, caet. inducitur. Cauſſa eſt caloris, tumoris, ruboris, inflammationis, ſanguinis profuſionum, corruptionis, ſuppurationis. Abnormes tales motus medici aut moderari, aut inducere didicerunt. — Palpitationis cordis natura ſpaſtica eſt, ſpaſmis totum genus neruoſum aut cor afficientibus. Tandem de ſyncope breuiter agitur.

Cap. XVI. *de ſanguinis natura et varietatibus et vitiis.* Cruſta, quam inflammatoriam vocant, pu- p. 260.

rum

rum gluten ſanguineum refert tardius ſolito coactum, quo fit, vt particulae rubrae colorantes ſanguinem quodam modo ſubſidant, nec ſanguinis denſitatem, vt diu creditum eſt, indicat, ſed tenuitatem, ſaltim minorem ad coagulationem procliuitatem. — Polypi ex ſolo glutine pendent ſanguineo in ſolidam maſſam coëunte. Agitur poſtea de plenitudine varia et ſanguinis inopia, ſanguine inprimis nimis tenui, aquoſo, quem tamen in ſanis natura, auctis ſtatim aquoſis euacuationibus, efficaciter praecauet, eodem modo, vt nimiam ſpiſſitudinem, praepeditis ſecretionibus et excretionibus aquoſis. — Humorum acrimonia lubricum fundamentum eſt, cui medici nimium ſuperſtruxerunt. Acria enim ingeſta digeſtione corriguntur, in ſanguinem delata obtunduntur, et aſſidue e corpore, tanquam noxia, excerguntur. Hoc modo ſalium et acredinum copia ingens corpus, valetudine parum vel non adfecta, libere tranſire poteſt. Continua vita hominis in putredinem procliuitas eſt, ob ſales animales in eo copioſe generatos, ſed hi ſales cum vrina educuntur. Haec autem in putridam conditionem procliuitas multum ſalis dabit, non tam facile educendi, dum, vt in nautis, ſales copioſe ingeruntur, et aquae diluentis, eluentis, potus parcus eſt. Huic autem corruptioni idoneum medicamentum ſuggeſſit natura, cibum recentem, vegetabilem, aëre fixo plenum, quo cibo deficiente putredo, acrimonia, generalis languor. Subinde putridum fermentum putredinem inducit, ſubinde partes, ab inflammatione, caet. cito putreſcunt. — Acida acrimonia ſanguini humano nunquam accidit, nec humorum vlli, quum primum ex eo ſecernitur. Nec alcalina acrimonia ſanguis inſita videtur. Poſſunt quidem variae acrimoniae ſan-

guis

guini ineſſe, ab acrium, aromatum, potus meracioris vſu, ſed de his nihil certi notum eſt.

Cap. XVII. *de reſpiratione eiusque vſibus et varietatibus et vitiis, voce, loquela, nixu, ſuſpirio, oſcitatione, riſu, fletu, ſingultu, dyſpnoea, tuſſi, ſternutatione.* Caloris animalis theoriae recentiores omnes compluribus adhuc difficultatibus obſtrictae ſunt, ſed chemici veram iniiſſe viam videntur, qua demum hoc naturae arcanum detegatur. De globulis ſanguineis in pulmonibus figendis, tornandis, de pabulo vitae ex aëre hauriendo nihil certi adhuc conſtat. Suſpirium propter ſanguinem fit per pulmonem male expeditum, ob debiliorem virium mouentium actionem: adfinis ipſi oſcitatio eſt. — Singultus ſubita et ſonora ſepti transuerſi conuulſio eſt, ventriculo ſimul aliquando conuulſo. p. 284

Cap. XVIII. *de concoctione alimentorum.* In fame praeter inanitionis ſenſum contractio quaedam fibrarum ventriculi ſubeſſe videtur. — Qui cibos vegetabiles tantum praecipiunt, ipſa natura ſapientiores videntur. Condimenta conſuetudo amare docuit, nec tamen vſu ſuo carent. p. 319.

Cap. XIX. *de vitiis concoctionis variisque organorum, quae concoctioni inſeruiunt, affectionibus morboſis.* Exponuntur appetitus deficientis, varii, morboſi cauſſae. Inſolitarum rerum deſideria, ſi iis modice indulgetur, ſaepe proſunt, raro nocent. Poſtea ſitis deficientis, immoderatae deglutitionis interceptae, digeſtionis difficilis, alui nimis tardae, citae cauſſae effectusque exponuntur. Tractatur ſimul de inteſtinorum laeuitate, difficultate, teneſmo, motu inteſtinali inuerſo, nauſea, vomitu, ileo, caet.

Cap XX. *de ſecretione et excretione earumque varietatibus et vitiis.* Secreti humores alii vſibus variis in corpore inſeruiunt, alii excrementitii ſunt, p. 358.

alii

alii nouo animali progenerando, alendo neceſſarii ſunt. Secretionis ratio aut explicatio hactenus nulla data eſt, nec fabrica organorum ſecernentium hactenus ſatis nota eſt, nec mathematicorum, chemicorum coniecturae multum veroſimilis habent. Formari videtur organon ſecernens ex arteriis et venis ſanguinem vehentibus, in cauum hiantibus, vel ductus ſibi continuos habentibus, qui humorem ſecretum, quo debent, deferant. Res factae viſaeque circa ſecretionum negotium enarrantur, ſpretis omnibus, et veroſimilibus quibusdam, hypotheſibus, poſteaque de humoribus ſecretis, vrina, cutanea exhalatione, ſudore, ſermo eſt, pertractatis ſimul generalioribus harum ſecretionum et excretionum praeternaturalibus affectionibus.

In altero operis tomo phyſiologiae et pathologiae generalioris capita quaedam pertractantur, ſcilicet:

Cap. XXI. *de generandi facultate in vtroque ſexu, variisque eius et quae ei inſeruiunt organorum affectionibus morboſis* agitur. Exigua ſunt et imperfecta admodum, quae ratio in his rebus docuit, experimentum comprobauit. — In menſtrui fluxus ratione reddenda probabile eſt, foeminas prae viris ad ſanguinis plenitudinem procliues eſſe, nimiam ſanguinis copiam in earum arteriis accumulari, inprimis in laxioribus ramis vterinis, hos ramos distentos neruos in contractionem citare, qua per oſcula patefacta demum ſanguis exprimitur, profunditur. Interualli aequalis adeo ratio hactenus nulla reddita eſt; habent tamen ſua tempora plaraeque res, quibus incipiunt, abſoluuntur: nonnihil etiam conſuetudo facere videtur. In grauidis menſes non fluunt, quia pars vteri, vnde profluere ſolent,

ſolent a placenta occupatur (?) nec, dum infantem alit mulier, fluunt, quia ad aliam partem ſanguis diuertitur. Ad cupiditatem veneris in mulieribus menſes parum aut nihil faciunt. — Quae dicta hactenus aut dubie obſeruata viſaque circa generationis negotium ſunt, difficultates nullo modo ſuperandas vix expediunt, nec eſt, qui dixerit, variae partes ad vitam neceſſariae vnde veniant, quando, quo ordine perficiantur. Sed talis a vitae principiis ſubeſt fabrica, et magna et conſtans vis, quae diſtendat foetus compagem molliſſimam ideoque ad extenſionem aptiſſimam. Diſtendens vis actio cordis eſt, qua aorta euoluitur in ſimplicem primum tubum, poſtea in ramos extenſa. — Lis medicorum experimentis, non rationibus componenda, de foetus cum matre commercio aut per vaſa continua, aut per ſanguinem in cauernulas profuſum, ad vſum medicum parum pertinet. — Agitur poſtea de partu, puerperio, lactis generatione, menſibus ſolita aetate non prorumpentibus, interceptis, ſuppreſſis, deficientibus, fluore albo, ſterilitate, abortu, partu difficili, praeternaturali, vteri poſt partum affectionibus, caet.

Cap. XXII. *de corporis nutrimento, incremento, ſtatu, imminutione et morte morbisque, qui varias aetates comitari et affligere ſolent.* p. 50. Multa philoſophi medicique de his excogitarunt ſanae rationi non adeo conſentanea. Veroſimile eſt, ſingulas corporis partes primo in longitudinem creſcere, quia vis diſtendens ſecundum axes vaſorum agit maxime, donec haec multum diſtenta et firmiora facta magis magisque indies renitantur, nec amplius diſtendi patiantur. — Vita demum ipſa, ob rigorem, citius ſeriusue mortis cauſa fit. Mortis autem praeternaturalis genera numeroſiſſima ſunt, plerumque tamen, forte ſemper, functionum vitalium aliqua,

actio

actio nempe cerebri neruorumque aut ſanguinis circuitus aut reſpiratio, prius impeditur aut laeditur, quam vita penitus exſtinguatur. Proxima mortis cauſſa ſane eadem ſemper eſſe debet, nimirum quae conſiſtit in amiſſione ignoti iſtius generis neruoſi ſtatus, qui vitam, quatenus corporea eſt, efficere videtur. — Mortem proxime dolor, moleſtia nulla praecedit, ſenſu videlicet ſenſim detrito et ante mortem ſemper ablato. — Agitur denique de ſtatura diuerſarum gentium diuerſa, et de aetatum morbis eorumque originibus.

p. 97. Cap. XXIII. *de conſtitutionum varietatibus.* Conſtitutionum varietates temperamenta dicta ſunt, nec multum refert, quo vocabulo ad eas exprimendas vtamur, ſed errarunt medici, temperamentum ad certum quendam humorem referentes, pertractantur tamen morbi temperamentis ſueto more in ſcholis medicis ſtabilitis proprii.

Altera operis theoretici parte *de therapia*, quam generalem ſcholae vocant, agitur, et quidem:

Cap. XXIV. *de medendi ratione, de natura remediorum, de conſiliis medendi, ad ſanandos, aut mitigandos, aut praecauendos morbos.* Non ſatis eſt medico ſcire, quaedam remedia ad quosdam morbos prodeſſe, niſi ſimul intelligat, qua ratione id boni efficiant; in adminiſtrandis enim remediis memoria ſemper tenendum eſt, non nominis morbi, ſed generalis eius naturae rationem eſſe habendam, et ad morbi cauſſas, minutiſſimasque ſubinde res plurimum eſſe reſpiciendum. — Ordinanda ideo et nominanda remedia ſunt ex effectibus eorum conſtantibus maxime et ſimpliciſſimis, et quo melius perſpectae fuerint et intellectae medicamentorum facultates, eo ſimplicior fiet materia medica, eoque pauciora nomina ſeu remediorum genera me-

dici

dici habebunt. Excuſſis licet praeclare medicorum noſtrorum temporum laboribus compluribus raris medicamentorum nominibus, quaedam tamen remediorum genera medicis adhuc in ore ſunt, quibus ſine omni damno medicina careret. Medicamenta porro ſingula, quae ſub generali titulo comprehenduntur, diſtingui poſſunt ſiue magnitudine effectus, et quaſi gradibus, ſiue viribus, praeter communem et generalem effectum ſibi adhuc propriis. — Agitur inſuper in hoc capite de iudicationibus curatiuis, palliatiuis, ex ſignis morborum deſumtis recte hauriendis, ex vniuerſo videlicet cauſſarum concurſu, et de iudicationibus ſanitati conſeruandae opportunis.

Cap. XXV. *de diaeta aegrotantium.* Multa peritia ſaepe opus eſt, vt ſciat medicus, qualia alimenta, et quo tempore ſingulis aegris ſint permittenda. In acutis morbis, ſi aegri cibum nullum appetunt, cibum praeſcribere abſurdum foret. Hinc acute decumbentibus cibus quam parciſſimus praecipiendus eſt et petentibus tantum concedendus. Tenuiſſimum alimentum et acutis morbis maxime conueniens poma atque olera praebent, validius paullo legumina et radices, quae farinam habent, inprimis ſolani tuberoſi radices, validiſſimum far, triticum inprimis atque oryza. Ex auenaceis furfuribus, quibus aqua adfuſa eſt, quae mora aliquot dierum ſubacidam fermentationem paſſa eſt, ruſtici Scoti coctione alimentum parant ſubacidum, febricitantibus admodum conueniens. — Radices eſculentae pleraeque febricitantibus dari poſſunt, ſed peculiaris commodi nihil habent. — Carnes caute et parce ſemper aegris dandae ſunt, inprimis febre vrgente et putredine imminente. Cibi omnes febricitantibus hac forma dandi, vt ventriculum quam minime onerent, et corpus quam minime excitent p. 133.

aut calefaciant, hic iura carnium ſolidis longe praeſtant. — Potus in acutis frigidus eſſe debet, nec potui de medicamentis aliquid admiſcendum, ob incommoda morbi, ſitim, ventriculi adfectiones, caet. inde aucta. Satis conuenit acuto morbo detentis Ruſſorum potus Quaas.

In omnibus diuturnis morbis oportet inprimis cibus natura et copia talis ſit, qualis et aptus ſit alendo et reficiendo corpori, et ſimul non nimis nutrimenti praebeat, et concoctu facilis ſit, et nulla morbi indicia augeat, nec quid mali inducat, ſed morboſae corporis conditioni, quantum fieri poſſit, auerſetur, et quaſi remedio ſit. — Quantitatem cibi taliter adfectis praeſcribere difficile et ingratum eſt, magis intereſt qualitatem determinare. Si librae duae boni panis fermentati cum lactis tribus libris ſano perfecte homini nutriendo ſufficiunt, dimidia aut tertia pars aegro, lecto affixo, debili ſufficit. — Nocet admodum praeceptum, quod conualeſcentibus ex morbis communiter datur, vt parum, ſed iterato edant; eo enim modo plus edunt, quam ſani adſueuerant, et digeſtionis vires infirmant. Caſeus his morbis adfectis nocet, nec non omne far, quod fermentationem paſſum non fuerit. Parum etiam accommodatae aegris radices ſolani tuberoſi et legumina ſunt. Eſculentae radices quo teneriores ſunt, eo magis conueniunt. Salutaria poma, niſi ventriculo admodum infirmo. Choccoladae potus aromatibus non remixtae aegris admodum conuenit et facile digeritur.

p. 181. Cap. XXVI. *de remediis adſtringentibus.* Adſtringentia ſunt, quae debilitatem et laxitatem corrigunt, partesque ſolidas ad priſtinam et ſanam firmitatem reducunt. Modus, quo talem effectum in corpore viuo producunt, parum cognitus hactenus

nus eſt, conſtat tamen, materiam ſolidam corporis animalis iis firmiorem reddi, nec refert multum, qua ratione agant, dummodo effectus eorum certus ſit. Notabile eſt, plerasquae plantas, quibus radices amarae ſunt, cortices plus minus adſtringentes habere. Effectus ſimpliciſſimus remediorum adſtringentium eſt, partes ſolidas firmare, denſare, indurare, efficaciter in partibus, quibus proxime admouentur, minus in remotis partibus aut vniverſo corpore. Afficiuntur ab adſtringentibus fibrae muſculares, tela reticulata omniaque organa ex his praeparata, vaſa inprimis et ſolida viua. — Laeſiones demum functionum enarrantur, quibus adſtringentia ſubueniunt.

Cap. XXVII. *de remediis emollientibus.* Minor p. 200.
eorum copia et varietas, quam adſtringentium, eſt: omnia ad duo genera referuntur, oleoſa et mucoſa. Validiſſimum longe certiſſimumque horum remediorum eſt pura aqua, praeſertim calida, nec valde inferior ea calor cum humore coniunctus.

Cap. XXVIII. *de remediis roborantibus.* Haec ſunt, quae partes ſolidas vitales, cerebrum, nervos, muſculos afficiunt, earumque deficientes vires excitant, nimias reprimunt. Genus neruoſum quatuor vitia euidentiſſima et frequentiſſima habet, defectum, exceſſum vigoris, defectum mobilitatis et ſenſus, et demum exceſſum ſenſus et mobilitatis. Roborantia proprie dicuntur, quae aduerſus debilitatem valent: tonicorum nomen improprium nimis eſt, hinc, ceu coniecturale et ambiguum vocabulum, vitandum. Diſtinguenda autem roborantia ab adſtringentibus diligenter ſunt; vires enim muſculis deficiunt et magna aliquando debilitas vrget, quum nulla inſolita carnium mollities adeſt, neque ideo adſtringentibus medicinis opus eſt: imo debilitas cum rigore coniuncta locum ha-

bere poteſt. Non omnia praeterea roborantia adſtringendi vim habent, adſtringentesque maxime medicinae vim roborantem exiguam habent. Quaedam autem ex medicamentis vere adſtringentibus inſignem vim roborantem in fibris muſculoſis, vel forte in vniuerſo ſyſtemate neruoſo poſſident, corticis Peruuiani, ferri, caet. exemplo. Plantae amarae omnes vim roborantem poſſidere putantur, et hoc conſilio multum, ſaepe nimis vſurpantur; nocent enim large aſſumtae, nec veneni ſuſpicione penitus carent. Efficaciſſima roborantia vina rubra, adſtringentia ſunt. Robur demum corpori conciliant idonea corporis exercitatio, frigus, apta diaeta, animi affectus nonnulli. Animi affectus excitantes omnes vim plane roborantem poſſident, et quidam eorum paralyſi affectis et valde infirmis vim inſolitam dederunt, ita vt ipſa natura idoneum corpori humano vigorem et robur per varia, quibus illud fungitur, officia, det conſeruetque.

p. 257. Cap. XXIX. *de remediis infirmantibus*, quae vires fibrarum muſcularium minuunt. *Atonica*, vitando ob ancipitem ſenſum nomine, vocantur. Neceſſaria ſunt haec remedia potiſſimum ad contractionem nimis validam fibrarum muſculoſarum inuiti motus, cordis ſcilicet et arteriarum. Pro cauſſarum diuerſitate autem, quae talem ſtatum inducunt, infirmantia ſunt aut relaxantia, aut narcotica, efficaciſſimae autem inanitiones, praeſertim copioſae, ſunt. Inſigne etiam ſubinde remedium infirmans diaeta tenuis, parca, frigus eſt. Infirmatur etiam corpus exercitationibus corporis intenſis, animi affectibus deprimentibus, qui vero, ob ancipitem effectum, raro remedii inſtar adhibentur.

Cap. XXX. *de remediis ſtimulantibus*, quae vel ſenſum in partibus ſentientibus, vel motum in partibus muſcu-

muſculoſis excitant. Pleraque vtrumque effectum praeſtant; ſenſus enim vehemens plerumque ſtimulantem vim habet. Ratio horum remediorum admodum obſcura eſt; naturae enim diuerſiſſimae medicamenta eosdem perfecte effectus, ſaltim ſimillimos habent. Maxima autem explicationis difficultas in eo conſiſtit, quod magnitudo effectus talium remediorum minime reſpondeat magnitudini cauſſae, ita vt effectus remedii in progreſſu ſaepe in contrarium deſinat. Turbatur inſuper aut impeditur actio medicamenti a genere neruoſo varie in eodem ſubiecto ſubinde diſpoſito. Notandum autem eſt, in ſtimulantibus dari res quasdam, quae corpori tum ſano integroque, tum parti admotae ſeparatae, muſculo v. g. contractionem aliquam ſtatim excitant, alias autem, quae ſenſum ſopiunt motumque reprimunt, haud raro tamen motus ſimúl nouos et ſatis viuidos excitant. Aliae res ancipitis naturae ſunt, ſtimulantes et ſedantes. Stimulantem autem vim habent omnia acria, ſales medii, acidi, alcalini, plantae acres, aromaticae, aquae deſtillatae plantarum aromaticarum, olea aromatica, balſama, reſinae, gummi reſinae, amarae plantae omnes, ſpiritus ſtillatitii fermentati, cantharides, fluidum electricum, calor, frigus, corporis exercitatio.

Cap. XXXI. *de remediis ſedantibus*, quae ſenſum obtundunt motumque reprimunt. Explicatu difficillimum iterum eſt, quo pacto multa talium remediorum corpus ita afficiant, praeſertim quum alia et quidem ſimillima medicamenta, vel eadem forte, alio tempore et aliter adhibita corpori plane ſtimulo ſint. Motus autem nimius quum a cauſſis variis admodum pendeat, intelligitur quoque, varia admodum ſedantia medicamenta eſſe, ſubindeque in relaxantibus, adſtringentibus, exaeſtuantibus, opia-

tis, demulcentibus, antiſepticis vim vere ſedantem latere. Medicamenta autem, quae prima et ſimpliciſſima ſua in corpus actione ſenſum motumque iam praeſentes reprimunt, ad duas claſſes referuntur, narcotica ſcilicet et refrigerantia. — Excutiuntur opii, hyoſcyami, cicutae, ſolani effectus vtiles, infauſti. — De refrigerantibus non dubitandum eſt, quin, aliorum inſtar ſedantium, genus neruoſum primum afficiant, ſed ſenſus vix multum obtundunt, aut ſoporem inducunt, omnia vero multo minus efficacia exiſtunt, quam auctores medici crediderunt. Acida, inprimis minera-lia, fructus ſubacidi, ſemina frigida ſic dicta, ſales neutri quidam, odorifera cuiuscunque generis, moſchus, zibethum, petroleum, ambra, aſa foetida, caet. praecipua ſunt. Remedia nulla qualitate ſenſibili externa praedita quod ſaepe effectus inſignes ediderint ad ſpaſmos varios ſopiendos, cinnabaris, lichen cinereus terreſtris, flores zinci, viſcus quernum, caet. ratio haec forte eſt, quod multi morbi ſpaſmorum generis ſua ſponte ſaepe deſinunt, poſt longa demum interualla, aut forte nunquam redituri, ita vt a natura praeſtita medicamento medici adſcripſerint. Cum aliis praeterea haec medicamenta ſimul adhibita ſunt, et ſatis quidem efficacibus, multa demum in animos aegrorum valuerunt, corpore intacto, multos certe aegros fides ſanauit. Sedantibus etiam adnumeranda ſunt frigus, calor, animi adfectus, illud regimen, quo ab omni ſtimulo cauetur, antiphlogiſticum, ab omni irritatione maxime alienum, ſitim exſtinguens, alui liberae negotium medicinis blandiſſimis promouens, vrinam citans, putredini reſiſtens. — Agitur demum copioſe de narcoticis adhibendis, eorum contra indicationibus, noxis in morbis, inprimis in doloribus et irritationibus variis.

Cap.

Cap. XXXII. *de remediis, quae corrigunt varia humorum vitia, ſpiſſantibus, attenuantibus, demulcentibus, antacidis, antalcalinis, antiſepticis.* Explosae ſunt Galenicorum, chymicorum, mathematicorum de variis acrimoniis quidem merito doctrinae, non ideo tamen concludendum eſt, humorum vitia aut prorſus nulla exiſtere, aut adeo rara atque leuia eſſe, vt remediis non egeant. — Verum ſanguinis vitium morboſa eius tenuitas quum conſtituat, opus eſt remediis, quae iuſtam craſſitiem humoribus noſtris conciliare poſſint, ſpiſſantibus. Talia ſunt omnes cibi boni et laudabilis ſucci, glutinoſa, gummoſa, mucilaginoſa omnia, (ſed improprie admodum, imo nocent, corpore debilitato, ſolidisque relaxatis, quam diſpoſitionem augent, adſtringentia, coagulantia. — Attenuantium ad contrarium humorum ſtatum magnus ſaepe vſus fuit, diluentia, inprimis potus aquoſi, mira ſubinde praeſtiterunt, attenuantia alia, alcalina, ſapones, humorum tenuitatem morboſam induxerunt, aucta putredine, ad quam humores ſua natura proni admodum ſunt. Attenuans vis, quae in ſalibus neutris quibusdam haeret, explicatu difficilis eſt, a vi ſeptica certe vix pendens. Videntur hi ſales per ſolum ſuum ſtimulum in morbis a ſpiſſitudine profuiſſe. p. 384.

Vtcunque futiles medicorum de variis acrimoniis opiniones ſint, demulcentia tamen vtiliſſima in compluribus morbis ſunt: negari enim non poteſt, humores corporis, natura ſua aliquantum acres maiorem interdum atque nociuam adipiſci acrimoniam, mucum a partibus abradi, aut vitiari. Tali in caſu oleoſa, mucoſa medicamenta maxime conveniunt.

Acida acrimonia rariſſime ſanguini accidit, inteſtinali tamen tubo ſatis frequens. Terrae abſor-

bentes, ossa animalium calcinata vim specialem et certam habent omnem acorem absorbendi, coërgendi. Sales alcalini minus commode adhibentur, ob stimulum, quem inducunt, terrae vero absorbentes, vtpote satis mites, vsui magis accommodatae: nec nocere possunt, ob aluum ab iis soluta tam. Sapo hoc incommodum habet, vt, dum acidum corrigit, oleum crassum, rancidum, in ventriculo relinquat. Multum ad acidum corrigendum valent tonum ventriculi instaurantia, adstringentia, vitrioli acidum adeo dilutius acorem ventriculi efficaciter debellauit. — Antalcalina remedia egregios quotidie effectus edunt, licet nulla talis acrimonia prostet, sed putredini resistunt. Quoad antiseptica obseruandum est, maximum saepe morbosae putredinis subsidium in idonea diaeta esse positum, et certe potus et cibi, qui quotidie magna copia, sine incommodo sumuntur, magis prosunt, quam medicamenta validissima licet, quae ob eandem caussam parca tantum quantitate ingeri possunt. Fruges et omnia oleracea putredini maxime resistunt, distinctioque medicorum inter herbas alcalescentes et acescentes nulla hodie est, neque in alcali abeunt alcalescentes herbae, dum fermentationi subiiciuntur. Opium putredinem gangraenae digitorum pedum in senibus sanare videtur, dum irritationem tollit et dolorem cum hoc morbo coniunctum aufert.

p. 402. Cap. XXXIII. *de remediis euacuantibus.* Obseruarunt rudes etiam in medicina viri, morbos grauis subinde natura, sponte euacuatione insigni oborta, sanatos esse, hinc euacuantia a talibus hominibus ad eundem effectum frequenter adhibita, nec sine successu subinde; plures enim morbi a sola humorum abundantia pendent. Prosunt etiam admodum, dum vicinae partes euacuantur, parte quadam

dam affecta, aut ipsa parte affecta euacuata, nec non ad impedimenta remouenda, quae actioni organi cuiusdam secernentis obstent et secretionem per id nimis parcam reddant. Ipsae autem inanitiones omnes vires vitales minuunt, corpus infirmant, sique contrarium aliquando effectum habent, id aliis eorum viribus tribuendum est. Hinc his remediis, pernicioſis subinde, non temere ludendum est, inprimis in sanis, quibus remedia, vbi nulla necessaria sunt, adhibere periculum est. Non facile euacuationes permittunt corporis procliuitas ad putredinem, debilitas, mobilitas, strumosa constitutio; strumosi enim omnes constitutionem euacuationibus contrariam, debilem et flaccidam habent.

Cap. XXXIV. *de remediis vomitoriis.* Notan- p. 428.
tandum in his est, omnem potum, vtcunque blandum et mitem et gratum, ad ciendum vomitum nonnihil valere. Ipecacuanha efficaciſſimum, tutiſſimum vomitorium est, nec aliud incommodum habere solet, si plus eius sumtum fuerit, quam quod vomitionem citiorem, sed non grauiorem reddat. Scillae vires dubiae admodum sunt, nec fieri cum aegrorum commodo potest, vt narcotica, nicotiana, digitalis in emeticorum vsum adhibeantur. Praeter subitaneam et efficacem inanitionem emetica hunc effectum habent, vt secretionem et fluxionem humorum ventriculi et partium vicinarum promoueant, obstructa expediant, sanguinis per abdomen motum promoueant eiusque viscera stimulent. Magnopere in omnibus fere febribus, praesertim primis diebus, prosunt, consensuali irritatione salutari inducta, eliminatis sordibus, febrili materie, inducto alio motu, sed non in omnibus febribus, nec vbique. Vim adeo antispasmodicam vomitio habet, vitanda tamen, nec

tuta ſatis vitioſum pectus habentibus, aut admodum debilibus.

p. 459. Cap. XXXV. *de remediis catharticis.* Adhibenda tantum ſunt, dum iis opus eſt, nec per conſuetudinem. Rara etiam neceſſitas eſt, his, qui ex acutis conualeſcunt, purgantia dare. Agitur ſimul de lotionum, ſuppoſitoriorum ad aluum citandam vſu.

Cap. XXXVI. *de remediis diureticis*, quorum effectus licet praeſentanei ſaepe, vtplurimum tamen adeo incerti ſunt, vt nemo medicorum certo polliceri poſſit, ſe vrinam cuique aegro certe moturum. Multum tenuis humoris et omnis ſal, qui in corpore continetur, omnisque acrimonia per vrinam propellitur, hinc potus tenues omnes, ſales acres, ſtimulantes, acriaque alia diuretica. Oleum adeo abdomini illitum vrinam potenter pellit.

p. 493. Cap. XXXVII. *de remediis diaphoreticis et ſudoriferis.* Valde dubium adhuc eſt, an vlla exiſtant medicamenta cutim peculiari ſua vi ſtimulantia vaſaque cutanea ad actionem validiorem concitantia. Hinc et omnia medicamenta ad hunc finem adhiberi ſolita directam vim non habent, ſed diluentia, ſedantia, ſtimulantia, caet. ſunt.

p. 518. Cap. XXXVIII. *de remediis errhinis et ſialagogis et expectorantibus.* Errhina fere omnia ſternutationem mouent, praeter emollientia, quae mucum ſine ſternutatione ducunt. Obtuſus oculorum, narium, ex errhinis ſenſus narcoticae vi, quam haec medicamenta poſſident, tribuendus eſt. — In ſialagogis mercurialia potentiſſima ſunt, iniisque, ſales et calces mercuriales cutaneam euacuationem magis accelerant, crudi autem mercurii cum ſeuo praeparationes ſaliuam. — Expectorantia omnia vel admodum exiguas, vel admodum incertas vires habent: nondum enim vllum conſtitit medicamentum,

tum, quod certas ad expectorationem promouendam vires haberet. Duo genera maxime ex iis eminent, ſtimulantia et demulcentia, ſeu incraſſantia.

Cap. XXXIX. *de remediis emmenagogis.* Quae ſanguinem ad vterum peculiari vi ducere videntur medicamenta non dantur, videre attamen medici, varia etiam obſtructi menſtrui curſus cauſſa praeſente, in herbis quibusdam peculiarem ad hunc fluxum vim latere, in rubiae tinctorum radice v. g. caet. quamuis dolendum ſit, eam in compluribus aegris fruſtra eſſe tentatam. A duabus autem cauſſis generalioribus menſes potiſſimum deficiunt, vel a defectu vis, quae ſanguinem per vterina vaſa pellere debuiſſet, vel ab impedimento aliquo praeter naturam, quod nec vires ſanguinem pellentes naturales, nec maiores ſuperare queant. Aegre hinc medicamenta ad menſtruum fluxum dari ſolita in pulchrum et concinnum ordinem reduci poſſunt, quum pro cauſſarum varietate admodum varient. Memorantur tamen corporis motus, aura electrica, animi affectus excitantes, medicamenta ſtimulantia, ferrum, balneum frigidum, cathartica, diuretica acriora.

Cap. XL. *de ſanguinis detractione.* Diſtingui- p. 563.
tur diligenter inter generalem ſanguinis detractionem, quae inciſa magna vena perficitur, et ſpecialem, localem, ſanguiſugarum, cucurbitularum ope. Haec fere ſemper tuto adhibetur et aliquoties repetitur, illa non aeque. Effectus ſanguinis modica quantitate e venis detracti ſemper ſunt imminutio copiae humorum circulantium, relaxatio corporis, virium, ſanguinis motus temperatio. Exponuntur poſtea noxae ſanguinis miſſionis variae, innumerae, regulaque datur, ſaepius neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem in pyrexiis, rarius

in

in neuroſibus, rariſſime in cachexiis. — Ad animi vſque deliquium ſanguinis detractio rariſſime tentanda eſt, imo in his, qui ex ſanguine miſſo animo facile linqui ſolent, ſtudioſe vitanda. Locus in inflammationibus ſanguinis detrahendi affecto parti quam proximus eſſe debet, nondum autem conſtat, num ex arteria ſanguinis miſſio magis proficua ſit. Inſuper alia incommoda arteriae incisio habet; eamque ob cauſſam nulla arteria incidi debet, praeter temporalem aliquem forte ramum in grauiore quodam forte capitis, aurium, oculorum morbo. Veroſimile etiam eſt egregie eſſe profuturum, arteriam partis inflammatae, vel ramulos etiam aliquos maiores cum ea communicantes, ſi facultas eſſet, incidere.

p. 591. Cap. XLI. *de remediis epiſpaſticis.* Tractatur de veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, rubefacientibus medicinis. —

Cap. XLII. *de remediis anthelminticis.* Signa vermium copioſe exponuntur, notaturque, diligenter cauendum eſſe ab errore, quo, vbicunque vermes deprehenduntur, nihil vlterius reſpicitur, nihil quaeritur. Medicamenta, quae per aſperitatem ſuam vermes laedunt, ſunt puluis corallinae craſſior, ſtannum limatum, ſpicula arboris Iamaicenſis, quae dolichos pruriens vocatur, nuper laudata. Venena vermibus ſunt filicis radix, cortex Geofreae Iamaicenſis, radix Spigeliae Marylandicae, ſantonici ſemen, deſtillati ſpiritus. Pellunt inſuper vermes foetida, purgantia, caet.

p. 622. Cap. XLIII. *de remediis lithontripticis.* In calculo pellendo medici parum ab omni tempore felices fuere. Plurima remedia admodum iactata aut inutilia, aut noxia fuere. Tandem anus quaedam medicamentum ſuum pro pretio ſatis honeſto Britanno vendidit, medicis minus cauto fac-

te,

te, ſed incorrupto teſtimonio ſuo confirmantibus, hanc medicinam calculos in veſica reuera comminuiſſe et calculoſos aliquot a ſuo morbo penitus liberaſſe. Princeps in medicamenti farragine calx viua cum ſapone fuit, poſtea ad calcis aquam medici tranſierunt. Alcali poſtea cauſticum, a medico, arcani inſtar, admodum iactatum adhibitum frequenter, ſed ſine plurimo fructu, eſt. Cauſticum alcali certe naturam ſuam non retinet, dum ad locum adfectum per ſanguinem peruenit; hinc omnes eius effectus a ſtimulo, quo vrinam pellit, explicandi ſunt. Idem ſtimulus efficit, vt vuae vrſi herba calculoſos potenter ſubleuet.

Vt aliquam lector libri ideam habeat, partem argumenti, inprimis nouiter ab auctore dicta, aut non vbiuis obuia excerpſimus. Nec eſt, quod negemus, praeclarum ex plurima parte laborem eſſe, quam in theoretica medicina Auctor inſumſit. Attamen multa etiam in libro deſideranda ſunt, ob anatomen in phyſiologicis penitus praetermiſſam, ſine qua functionum complurium corporis humani ſani iuſta cognitio locum habere nequit, ob omnia, quae functionibus explicandis vllo modo ſubueniunt, ſtudioſe omiſſa, in primis quae hypotheſes redolent. Quamuis enim ſatis per ſe laudabile ſit factis tantum rebus inhaerere, certisque et firma experientia confirmatis, expedit tamen tiroui in medicina noſſe, quaenam ad eruenda ea, quae ſenſibus noſtris ſe ſubducunt, medici et philoſophi cogitauerint et ceu probabilia maxime ſtabiliuerint. Deſiderium certe in libro eſt, auctorem de irritabilitate tot annorum experimentis ſtabilita, de generationis negotio, in quo explanando illuſtrandoque ſummam operam praeclari et ſagaciſſimi viri dedere, parum aut nihil dixiſſe, quae vllo modo ad explicationem conferant, in ſecretionum negotio

do

de hypotheſibus vanis forte, ingenioſis attamen nihil addidiſſe, verbo vniuerſam phyſiologiam, ceu empiricam mere diſciplinam, ſtudio rationis admodum parco habito, pertractaſſe.

Ad pathologiam quod attinet, licet non negemus, ad functionum a ſtatu ſano aberrationes melius et perfectius cognoſcendas multum conferre, ſi, ſtatu ſano functionis cuiusdam pertractato, morbidus eiusdem functionis ſtatus exponatur, generalia tamen de morbis admodum parca in ſuo ſyſtemate praeclarus auctor comprehendit, cauſſarum theoriam, medicis adeo neceſſariam, paene omnem omiſit, nec multa, quae ad ipſorum morborum origines valent, addidit, adeo vt omnia paene, aut ſaltim plurima, pro pathologia generali ab ipſo habita, ſolam tantum pathologiae generalioris partem, ſymptomatologiam ſpectent.

In therapia generali medicamentis plus operam dedit, quam hactenus factum eſt, nec dici facile poteſt, quantopere hanc diſciplinam ornauerit, dum veras factasque tantum res exponeret, coniecturalia omnia omitteret, ita vt vix ſint, quae in hac parte, quae de medicamentis agit, reprehendi poſſint. Sed quae priores therapiae generalioris et difficiliores partes conſtituunt ſcientiae de generalioribus medicamentorum viribus, de medicamentis adhibendis penitus omiſſa ſunt, nec in his, quae ad iudicationes faciunt, omnia ſcitu vtilia neceſſariaque expoſita ſunt.

III.

Medécine domeſtique, ou traité complet des moyens de ſe conſerver en ſanté de guerir et de prévenir les maladies par le regime et les remèdes ſimples: Ouvrage utile aux perſon-

ſonnes de tout etat, et mis à la portée de tout le monde, par GUIL. BUCHAN, M. D. du college Royal des médecins d'Edimbourgh. Traduit de l'Anglois par I. D. DUPLANIL, D. M. de la Faculté de Montpellier et medecin ordinaire de S. A. R. Monſeigneur le Comte d'Artois. Nouvelle edition, d'apres la ſeconde, qui a paru à Paris depuis peu, revue, corrigée et conſiderablement augmentée ſur la ſixieme edition de Londres. A Geneve, chez Pellet, 1781 in 12mo maj. Tome I. Introduct. 92. pag. text. 467 pag. Tome II. pag. 60. et 468. Tome III. pag. 576. Tome IV. pag. 502. Tome V. pag. 596. Tome VI. pag. 48. et 336. Tome VII. pag. 408.

i. e.

Medicina domeſtica, ſiue de conſeruanda bona valetudine et morbis regimine et medicinis comparatu facilibus praecauendis, tractatus locupletiſſimus, Auctore GVIL. BVCHAN, verſa in Gallicum ſermonem a I. D. DUPLANIL.

In immenſum paene dilatatum auctumque opus doctiſſimum vtiliſſimumque Cl^{i} BUCHAN eſt a Gallo Franco tractore, qui ſolam generis humani vtilitatem in libro hoc edendo amplificandoque ſe reſpexiſſe adſerit. Sed nimis fuſe res ſuas geſſit editor, adiecto indice, qui tomum ſextum ſeptimumque penitus fere occupat, argumentisque capitum et articulorum tam prolixis, vt quartam paene totius operis partem efficiant.

In

Insuper primae operis parti, quae de bona valetudine conseruanda agit, additae sunt ab editore definitiones omnium paene terminorum, quos *technicos* vocant, nec non anatomicae viscerum omnium partiumque corporis humani, quae in vniuerso opere memorantur, descriptiones; descriptae etiam sunt ab eodem principes oeconomiae animalis functiones, sanguinis circulatio, respiratio, ciborum digestio, excretiones, caet. Notae etiam copiosissimae ab eodem textui subditae sunt, marginibusque argumenta addita, tandemque, vt magis libri moles incresceret, ad finem tractationis cuiuscunque addita ab editore breuiter, vt ipse quidem dicit, sed satis omnino fuse, repetita sunt.

Alteri tomo operis Cl^mi BUCHAN, in quo morborum debitis medicamentis auertendorum et curandorum ratio exponitur, additae ab editore sunt definitiones copiosissimae eorum, quae in libro memorantur, nec non plantarum omnium medicamentorumque tam simplicium, quam compositorum, quae in libro aut commendantur, aut memorantur, descriptiones fusissimae nec admodum vbique bonae.

Eidem tomo aliam etiam tractationem editor adnectit, de symptomatibus morbis generalioribus internis propriis, qui certam sedem non habentes, nec euidenti quodam modo causas, ex quibus nati sunt, indicantes, incerta nomina habent. In eadem tractatione symptomata etiam tradita sunt, quae alios morbos praecedunt, sedem quidem certam habentes, quam autem non statim, sed in decursu suo demum produnt.

Vbi tandem auctor in textu vllo modo defecerat, aut in symptomatibus exponendis, aut in sede morbi tradenda, exponenda, illustranda, aut denique in causis exponendis, symptomatibus ex iis deducen-

ducendis aut in vera medendi methodo praecipienda, ea omnia editor in notis copioſiſſimis ſuggeſſit, plures morbos, quos Auctor ſilentio praeterierat, deſcripſit, addendis partim textui ſubiectis, partim in capitis noui ordine digeſtis. Adiectae etiam ab editore meditationes de remediis prophylacticis ſunt.

Vt verbo rem comprehendamus, vera ex omni parte ſunt, quae editor de additis a ſe dicit praef. pag. 26. nullam eſſe in vniuerſo opere paginam, cui non quaedam acceſſerint, multisque in locis plurima acceſſiſſe. Multa etiam in ordine operis ab editore mutata, translata alium in locum, diſtincta melius curatiusque ſunt. Articulis argumenti epigraphe addita eſt.

Vt autem per ſingulos tomos transeamus, auctoris praefationi et introductioni ab editore nihil, capiti vero primo quaedam acceſſerunt. Moriuntur in Gallia puerorum, qui aetatis ſuae nonum annum nondum ſuperarunt, partes $\frac{2}{7}$. ſed rationes, quae ad hoc credendum editorem induxerunt, non expoſitae ſunt. — Eas tantum matres a puerorum ſuorum lactatione prohibendas editor putat, quae aut phthiſin pulmonalem confirmatam habent, aut lacte penitus carent. Morbi alii lactationem non prohibent. Omni certe opera in eo reſpiciendum eſt, ne parentes in magnis vrbibus, in quibus mala luxuries omnes infecit, pueros ſuos conductitiis nutricibus tradant, ſummamque indignationem mouent ea, quae Noſter in notis ad pag. 7. de Pariſinorum et Lugdunenſium in his rebus more profert.

Plura addita etiam ſunt ad amictum puerorum, p. 43.
nec non ad victum eorum pertinentia. Omnes ii vehementer taxantur, qui lactis loco alia alimenta pueris praecipiunt, vituperandus adeo editori Ger-

manorum mos videtur, qui, dum pueri lacte materno carent, conducti lactis loco eos vaccino lacte cum pane similagineo nutriunt. — Coloſtri ad primas vias purgandas laudes copioſe recenſentur, peſſimusque iſte mos, quo ablactati pueri alia, quibuscum primos aetatis annos tranſigant, traduntur, iure taxatur.

p. 81. Frigidi balnei vſus is eſſe debet, vt pueri ei ſenſim adſueſcant, iis videlicet partibus in frigidam immiſſis, quas frigidus aër iam durauerat. Non autem a balneorum frigidorum bonitate ad aëris frigidi, inprimis ventis agitati, ſalutares effectus concluſio valet. Febris autem, aſthmata, convulſiones et cuiuscunque generis morbi in Gallia pueros eam ob cauſſam occupant, quod per totam ſuam puerilem aetatem opulentiorum praeſertim filii in conclauibus dormitoriisque nimis anguſti aërem propriis ſordibus corruptum continentibus detineantur.

Taxatur etiam admodum puerorum in cunis agitatio nimia. Vidit editor puerum, a nimia ob denegatas cunas, quibus adſueuerat, eiulatione in lethiferum maraſmum incidiſſe.

p. 103. Multum etiam locupletata additamentis de artificum opificumque morbis tractatio eſt. Qui calori admodum intenſo expoſiti ſunt, ſudores copioſos a frigida epota experiuntur, aeſtum ſudoris expertem a ſpirituoſis epotis.

p. 184. Caput III. de alimentis admodum etiam ab editore dilatatum eſt. Potus copioſus cuiuscunque generis eam potiſſimum ob cauſſam nocet, quod humores gaſtricos nimis diluat. Si calidus inſuper eſt, mucum inteſtinorum, viſcerum, deſtruit, nervos externis iniuriis obnoxios reddit. Copioſiſſimus caeterum eſt in vini natura, qualitatibus, commodis, noxis, mangoniſationibus, praeparationibus,

caet.

caet. exponendis. Additi etiam modi ſunt vini acetum, cereuiſiam, panem, caet. praeparandi. Caffea damnatur ob irritantem fortiter et ſtimulantem ſuam vim. Tamen non tam vehementer nocet, quam thea epota, quum tanta doſi non ſumatur, et farinam facilem et nutrientem contineat. Lacte remixta colicas ſtomachi et inteſtinorum horrendas quibusdam inducit.

Caput IV. de aëre. Templa Gallica aërem pu- p. 234.
rum vtplurimum et maxime ſalutarem habent, ob aërem externum vbique peruium. Corruptus tamen admodum aër in templis eſt, ad quae aditus non quotidie patet. Simul ea, quae in Gallia ad mortuorum ſepulcra a templis et monaſteriis demouenda acta ſunt, enarrantur.

Cap. VI. meridianus ſomnus pueris ad quartum p. 269.
vſque aetatis annum, ſenibus, literatis, ex hypochondriis laborantibus, melancholicis, phlegmatico et pituitoſo temperamento praeditis, conualeſcentibus, alia aduerſa valetudine leuiori adfectis, ad phthiſin pulmonalem pronis, caet. praecipitur. — Veſtimenta ex panno laneo confecta cuivis anni tempori conueniunt, aeſtum nec intendentia, nec moderantia nimis. — Pectoris inflammatio cuiuscunque generis noſtris temporibus ob ſpirituum ardentium copioſiſſimum vſum longe frequentior, quam priſcis temporibus, eſt.

Cap. IX. de contagiis morboſis arcendis acceſſere p. 316.
de nociuo aegris frequentiorum viſitationum more, de peſte arcenda, praecauenda, de noſocomiorum iuſto regimine, de morbis in noſocomiis publicis ob malam adminiſtrationem, munditiem neglectam, caet. periculoſis magis atque mortiferis, de noſocomiis rite inſtruendis, adminiſtrandis.

Cap. X. de animi pathematum noxis. Vidit noſter mulierem, quae partum recenter enixa fue-

rat, in lethiferum maraſmum incidiſſe a vano vlcere vterini metu ipſi incuſſo. In eundem morbum lethalem alia febre lenta neruoſa laborans incidit ex hydropis pectoris vano metu. Hinc caute mortis aut morborum praeſagia formanda ſunt.

p. 378. Cap. XI. Multum intereſt, vt lege tempus praecipiatur, ne aedium recenter conſtructarum habitatio nimis praecipitetur. —

Alteri tomo ſymptomata, quibus morbi interni diſtinguuntur, praefixa ſunt. Sed non ſemper in his ſymptomatibus deſcribendis ſumma diligentia adhibita eſt. Paraphrenitis v. g. febris peracuta dicitur cum dolore in regione diaphragmatis, ſub quocunque corporis motu aucto, nec facile perſpici poteſt, quid vera aut falſa auctori pectoris fluxio ſit. Putridae et petechiali febri ſigna eadem adſcribuntur, nec ſummus vbique et laudabilis ordo in febribus praeſertim obſeruatus eſt. Phrenitis encephali inflammationi tribuitur. Venenorum etiam datorum ſumtorumue ſigna, ſed imperfecte exponuntur.

Notata ad ipſum BUCHANI textum modos continent, quibus morborum indoles ex aegris ſciſcitando erui poſſit, de ſymptomatibus febri propriis aut non propriis, de cutaneorum exanthematum differentiis, de febribus petechialibus malignis a mere petechialibus diſtinguendis, de medicamentorum ſimplicium ad febres vtilitate, de venaeſectione in febribus acutis caute adhibenda, de ſudore non arte in febribus educendo, de alimentis conualeſcentibus opportunis.

p. 46. Laudani liquidi Sydenhami guttae XXV. in febrium intermittentium aeſtu datae calorem mitigare, ſudorem accelerare dicuntur. Ipecacuanhae radicis, ad vomitum intermittentibus febribus laborantibus concitandum, doſis parca eſſe debet. Cor-

tex

tex Peruuianus ſpem medentium in intermittentibus ſaepius, ob pareas nimis, quibus exhibetur, doſes fallit. Salicis cortex in corticis Peruuiani ſuccedaneis maxime laudatur.

Continuarum febrium nomina varia ex variis eorum ſymptomatibus maxime eminentibus ſatis bene deducta ſunt. Ita etiam noxae ex ſanguinis miſſionibus nimiis in febribus, infrequenti alias Gallis more, ſatis bene expoſitae ſunt.

Pulmonalis phthiſis infrequens olim in Gallia morbus fuit, hodie frequentior, ob ſedentarios labores copioſiores, exceſſus in diaeta frequentiſſimos, caffeae abuſum, et thoraces mulierculis crebros. Multum etiam ad hunc morbum producendum confert mala, incongrua, neglecta educatio, peruerſum infantum regimen, caet. Cuprum etiam, cum quo plures artifices occupantur, ad hunc morbum producendum plurimum confert, in his, qui horologia, inſtrumenta mathematica, caet. conficiunt. p. 136.

Miliaris febris in Galliae meridionalibus partibus admodum rara eſt, in ſeptentrionalibus vero regionibus ex longo iam tempore epidemico modo ſaeuiit. p. 217.

Copioſus etiam in additamentis editor fuit ad capita de variolis, de variolarum inſitione, de morbillis, rubeolis, ſcarlatina febre et inflammationibus internis. Sed haec omnia auctorem non admodum illuſtrant.

Catarrhum cerebri eum editor eſſe putat, qui ſedem in ſinubus frontalibus et maxillaribus habet, eumque facile depelli poſſe dicit, quod quidem non negamus, ſi recens eſt, inueteratus vero difficulter depellitur et graues morbos inducit. — Vomitus tuſſis ſtomachicae conſtans ſymptoma perhibetur. — In difficulter dentientium tuſſi gingi- III. p. 6.

vas incidere, vt dentes prodire poſſint, expe-
dit. — Caeterum in tertio tomo tuſſes variae, con-
vulſiua tuſſis, inteſtinorum inflammatio, colici do-
loris variae ſpecies, cholera morbus, vomitus, alui
profluuium, vrinae nimia profuſio, ſuppreſſio, cal-
culus, haemorrhagiae cuiuscunque generis, dyſente-
ria, lienteria, capitis, aurium, oculorum, ven-
triculi dolores, verminoſorum morbi, regius mor-
bus, hydrops, arthritis, rheumatiſmus, ſcorbu-
tus, ſcrofulae, ſcabies, herpetes aliique cutanei
morbi, aſthma, apoplexia, alui tarditas, appeti-
tus defectio, digeſtionis difficultas, cardialgia, ſoda,
pertractantur, hoc modo, vt editor, qui in prio-
ribus tomis ſua in notationibus ſubiecerat, in hoc et
ſequenti tomo ſua ab auctore dictis immiſcuerit, le-
uiori tantum notula diſtincta.

IV. Neruorum morbi quarti tomi argumentum ma-
xime ſunt, agiturque in eo de medicinis ad neruo-
rum morbos generatim praeſcribendis, de melan-
cholia, inſania et noſtalgia, paralyſi, hemiplegia,
epilepſia, chorea Sancti Viti, ſingultu, ſpaſmis par-
ticularibus, incubo, ſyncope, aſphyxia, flatibus,
animi deiectione, hyſterica affectione, hypochon-
driaco morbo.

Senſuum externorum morbi in eodem tomo
pertractantur, oculorum videlicet, amauroſis, ca-
taracta, myopia, presbyopia, ſtrabiſmus, oculo-
rum maculae, ſanguinis in oculorum tunicis pro-
fuſiones, lippitudo, peregrina corpora, oculos
afficientia. In aurium morbis ſurditas, in odora-
tus morbis ſternutatio, ozaena, narium polypus.
Tandem guſtus tactusque morbi exponuntur.

Tranſitus poſtea ad obſtructiones externas, in-
farctus, ſcirrhum et cancrum eſt, ab iisque ad ve-
nena varia eorumque antidota, caninam rabiem,

caet.

caet. Finis tomo imponitur copiosa admodum morborum venereorum pertractatione.

Quinto tomo foeminei sexus morbi pertractantur. Generaliori tractatione, sed succincta, praemissa, de menstruo fluxu, menstruo sanguine primum prorumpente, de menstrui fluxus suppressione, pallido mulierum colore, pica, malacia, menstruorum profluuio immoderato, vteri haemorrhagia, polypis vterinis, vaginae vterinae, fluore albo et menstruo fluxu naturalem in modum cessante agitur. Ab his ad grauiditatem transitus est eiusque signa, quae ad quartum vsque mensem incerta perhibentur. Grauiditatis incommodis maxime cardialgia, soda, nausea, vomitus, capitis, dentium dolores, tussis, vrinae suppressio aut incontinentia maxime adnumerantur. Grauidarum postea vitae ratio copiose docetur, deinde de abortu, illius caussis, signis, regimine earum, quae ad abortum procliues sunt, agitur. V.

De partu simplici et naturali, partu praeter naturam, difficili, laborioso, vteri inflammatione, lochiorum suppressione, mammarum inflammatione, miliari puerperarum alba et rubra febre, febricula lactea, lacte in mammis coagulato, sterilitate, vterino furore.

Puerorum omnes morbi parcas admodum medicinas requirunt, nec facile aliquid ferunt, praeter emetica leniora aut fortiora, purgantia leniora, mannam, magnesiam albam. Omnes verbo medicinae, quae pueris cum vsu quodam dantur, in alui purgatione consistunt. — Solitum est meconio, vt intra XXIV horas a partu sponte propellatur. Quod si non fit, colostrum infanti exhibendum est, aut aqua, in qua mel solutum sit. Tarda nimis aluus regimine, non medicamentis citanda est. Anus si pertinaciter prolapsus est, admisso mastyches fumo p. 131.

recedit. Poſtea de aphthis agitur, ſed non de aphtharum eo genere, quod KETELAER obſeruavit, ſed de facile cedentibus, de acido in primis viis congeſto, torminibus colicisque inde natis. Ad cutis excoriationes infantibus frequentes praeter munditiem, vegeto-mineralis Goulardi aqua, vitrioli albi cum aqua, aut fullonum terrae ſolutio laudantur. Naribus a muco pertinaciter obſtructis album vitriolum, elaterium, caet. ſubuenire editor perhibet, dum lenioribus medicinis malum cedere recuſat. Ad cruſtam lacteam violae tricoloris virtutes ſpecificas editor ſaepius expertus eſt, lenis ex omni parte medicamenti, nec vlli noxii. Pertractantur inſuper tinea capitis, noxae corporis a frigore contractae, membranacea angina, difficilis dentium prouentus, rachitis, conuulſiones, hydrocephalus, capitis hydrops, abdominis in pueris inflatio et venereus morbus eos occupans.

Vltimis capitibus de auxiliis chirurgicis leuiori manu ferendis, de venaeſectione inſtituenda, cura tumoribus inflammatoriis externis, abſceſſibus, panaritio, gangraenae, vulneribus, ambuſtionibus, contuſionibus, vlceribus, fiſtulis, fiſtula lacrymali, luxationibus, fracturis, herniis gerenda agitur, tandemque de mortiferis ſymptomatibus a corporibus peregrinis, quae in oeſophagum aut laryngem pervenerunt, inductis, de aqua, vaporibus mephiticis, frigore ſuffocatis.

Indicem copioſiſſimum, at fuſum nimis, tomus ſextus ſeptimusque continent.

IV.

D. HENRICI FRIDERICI DELII, Conſiliar. intimi aulae Brandenb. medic. profeſſ. primar. — Aduer-

Aduerſaria argumenti phyſico-medici. Faſciculus quartus. Erlangae, apud Wolfgangum Waltherum 1785. 4to. 1 *Alph.*

Continentur in his aduerſariis opuſcula academica ſequentia, ab ipſo viro Illuſtri conſcripta et ſub eius praeſidio publice ventilata:

I. *Curae poſteriores circa acidum ſpathi.* Earum cenſuram breuem iam dedimus *).

II. *Breuis luſtratio medicamentorum antiphthiſicorum, cum aduerſariis nonnullis phyſico-chemicis a* SIGISMUND. GOTTLOB FRIEDER. HELMERSHAUSEN *defenſa Erlangae menſ. Aug.* 1783. Obſtant indiſcriminato medicamentorum phthiſi pulmonali contrariorum vſui ambiguus dubiusque ipſorum effectus, praecipue minus iuſta phthiſeos pulmonalis notio ac vulgare praeiudicium, quo omnis phthiſis a malo, vlceroſo pulmonum habitu pendere, eamque ob cauſſam ad pectoralia balſamica, vulneraria, calefacientia maxime confugiendum eſſe putatur. Phthiſeos a pulmonum exulceratione oriundae indicationes ſunt, vt vlcus purgetur, materia vlceroſa abſtergatur, irritationes, adfluxus humorum verſus pulmones, praecaueantur, tuſſis, febricula, virium lapſus mitigentur. Medicamenta ad hunc ſcopum facientia alphabetico ordine recenſentur, adiectis ſimul animaduerſionibus brevioribus, eorum qualitates, efficaciam, vſum concernentibus, hoc modo, vt primum ex vegetabili, poſtea ex animali, deinde ex minerali regno petita recenſeantur. Addita ſunt atmoſphaerica, diaetetica chirurgica, variaque in pauperum vſum euporiſta. In aduerſariis diſputationi adiectis ex tabulis meteorologicis Ill. Auctor probat, nebularum aeſtatis anni 1764 rationem minime eandem fuiſſe, quam aeſtatis

*) Vid. comm. noſtr. dec. III. Suppl. 3. p. 529.

ſtatis anni 1783. huius anni autem nebula ſicca admodum fuit. Recruduerunt inprimis tempeſtates oborta, nec vllum ſiniſtrum ediderunt effectum. — Lapidis Labradorienſis colores varii a luminis radiis varie in eum incidentibus deriuantur, metallica tamen indoles quaedam illi non denegatur, experimentis, moderata olim lapidis caritate, demonſtranda. — Gelatinae vegetabiles mixtione et natura differunt. Decoctum herbae petroſelini in gelatinam abit acrem, radicum autem onagrae Rivi decoctio adſtringentem gelatinam dat. Hinc talia promiſcue adhibenda non ſunt. — Fruſta piſcis Salmonis noctu lucent, lux adeo in digitum propagata eſt, hoc fruſto affrictum. — Conuoluli maioris radices cum aqua poſteaque cum vini ſpiritu infuſae poſteaque in cineres redactae nihil ſalis dederunt, vt itaque ſal alcalinus aquae et ſpiritus ope vna elotus eſſe videatur. — Efficacem forte tincturam antimonii impetrari putat Ill. Auctor, ſi ſulphureo alcalina ſeu media antimonialis maſſa per bonum liquorem anodynum extrahatur.

III. *Diſſertatio de capite mortuo viuificando, cum aduerſariis nonnullis pathologico-practicis, ab* ANTONIO ERNESTO FRICKHINGER *defenſa Erlangae, menſ. Nov.* 1783. Variae remanentiae conſiderantur, quae a peractis variis chemicis laboribus, et igne praecipue tractatis, poſt obtenta ea, quae deſiderabantur, reliqua ſunt. — Sal mirabile artificiale, parandi artificio minus recte inſtituto ſuſpectum eſſe docetur, praeſtare vero ſal mirabile naturale purius et ſalubrius, ſal aperitiuum Fridericianum. In aduerſariis adiectis docetur, mentem etiam ipſam inflammari poſſe, vt ſcilicet pathemate grauiori nec ſemper recta vtiliaque reſpiciente, phantaſia aucta corruptaque, partes menti ſubiectae in materialem inflammationem tranſeant.

Mul-

Multum ad talem ſtatum conferre putat Ill. vir fabulas Romanenſes fanaticas ſenſilitatem nimiam concitantes. — Morbus Gallicus exeunte ſaeculo XV. primum exortus non ſolummodo venereus fuiſſe videtur, ſed compoſitus e morbis variis caſtrenſibus et venereis, vnde tanta eaque contagioſa virulentia nata. — Ad ſerpiginem foemellarum maculasque hepaticas porcellana minus alba cum citri ſucco ſoluta, externe adhibita, ceu abſtergens innoxium, laudatur, quod terream ſalinam mediam indolem habet. Eadem ab aliis teſtaceis cum acido quodam vegetabili ſolutis praeſtari Ill. vir putat. — Orgasmi hypochondriacorum, hyſtericarum ab immoderato liquorum ſpirituoſorum vſu ſaepe oriuntur. — Tuſſi catarrhali ſedem ſaepe larynx praebet, aut aſperae arteriae quaedam pars. Hinc ad eam tantus incraſſantium, emollientium, lubricantium vſus. — Succus citri potusque citratus cardialgiam, ſodam, ventriculi adfectiones alias ſaepe inducit. — Faſciarum, quibus cephalalgia adfecti caput cum leuamine morbi circumducunt, effectus eſt, vt nouam partium reſiſtentiam inducant, eoque modo materiae ſtagnantis diſcuſſioni faueant. — Ad humores inflammatorios, praecipue cum exanthematibus, emplaſtrorum et fomentorum loco, folia recentia vitis viniferae, ariſtolochiae, lapathi, braſſicae, ſambuci, caet. laudantur. — Purpura non omnis a bile oritur, eademque petechiarum eſt ratio. Singularis potius ſaepe ſanguinis et ſeri acrimonia ſubeſt. — Hinc vtique purpura idiopathica datur, a ſanguine proueniens, a ſymptomatica, ex primis viis proueniente, diligenter diſtinguenda.

IV. *Propoſitionum et meditationum phyſico-medicarum ſylloge a* IOANNE NEFF *defenſa. Erlangae, menſ. April.* 1784. Carum admodum eſt experimen-

mentum, dum aër, magna admodum copia, inflammabilis ex ferri limatura aut Zinco cum vitrioli acido mixtis educitur. Sed minuitur pretium, dum ex reſidua materie ferri vitriolum, ex materie vero, ſi zincum fuerat adiectum, album vitriolum paratur. — Cryſtallos varias, nec easdem ſemper et vna eademque materie parit ignis, frigus, humiditas. Hinc ex cryſtallorum forma ad ſalis naturam concluſio non ſemper valet. — Phlegma poſt ſpiritus vini deſtillationem remanens oleum verum ſtillatitium largitur; ſaporis acris aromatici. Aquis ſoteriis plurimis praeter vitrioli acidum et ammoniacus ſal, nec non communis ſal admixtus eſt. Hinc tales aquas artificio parans iis etiam horum ſalium partem admiſcere debet. — *Siderum*, quod metallum ſtatuit nouum BERGMANNUS, ferri ſpeciem eſſe contendit Ill. Auctor; de platina vero nondum ſatis conſtare putat, vtrum auri ſpecies ſit, ferro, vel alio quodam corpore addito, vel non. — Auri ſolutio cum gallarum decoctione mixta purpureum, et demum atrum colorem inducit. — Primitiuus aquae ſtatus congelationis eius non eſt. — Terrae ingentes motus, quos Sicilia, Calabria, Islandia experta ſunt, ab igne materiali eiusque pabulis ſubterraneis explicantur. — Oſſium varia forma fibroſa, lamelloſa, fiſtuloſa, ſpongioſa, petroſa, cum lapidum nonnullorum forma comparatur. — Regulare digeſtionis et adſumtorum excretionis tempus ex eo quodam modo determinari poteſt, quod deglutita ex improuiſo ſuo tempore per aluum excernantur. Annulum ex alcis vngula confectum puella circa meridiem deglutiuerat. Eum praeterlapſis exacte XXIV. horis depoſuit. — Gallinae aethiopes nigram cutem, albam carnem, oſſa, ſeu potius perioſtium nigra habent, forte ex perioſtio et cute continuis. — In pathologicis ſectionibus cauſae morborum non in viſceribus ſolum, ſed in nervis

vis etiam quaerendae ſunt, eorum originibus, diſtributionibus, plexibus, gangliis. — Decurſus morborum ipſaque malignitas adeo a vitae regimine ſaepe pendet. — Maculae cutaneae, aeſtiuae purpureae, petechias referentes, putridam indolem non habent et ſoli bono regimini cedunt. — Exacerbationum in morbis cauſſae forte ab horarum temperie varia, conſueta, ſingulari, nychthemerorum pendent. — Primarum viarum vitia, vt admodum varia in plurimis morbis obuia ſunt, et hinc cauere medicus debet, ne chorda ſemper eadem oberret. — Diaeta ad morbos curandos, mutata debito modo, admodum laudatur. Tutam et iucundam hanc curationem, minusque ſumtuoſam Noſter adpellat. — Crocus vernalis, diuerſo corollae colore gaudens, non reprobandus eſt, genere enim botanico vtraeque ſpecies conueniunt, ſtigmataque cum aqua et vini ſpiritu infuſa ſaturatam tincturam croceam exhibent. — Emetica praeter euacuatorium effectum, et alterantem, concutientem habent. Eundem effectum etiam ſali aperitiuo Fridericiano Noſter tribuit, cui forte *nimia* tribuit. — Diaeta debilium (horum inprimis, qui optimos ſuccos praematuro diſpendio amiſerunt) eodem modo inſtituenda eſt, vt diaeta ſenum. — Dephlogiſticatus aër ad ſanitatem conſervandam multum non facit, plurimi enim in aëre atmoſphaerico, dum nociuus non admodum ſit, ſenes decrepiti euadunt. Hinc *ſuperfluis* diaeteticis (ſubinde certe noxiis) hic aër adnumerandus, caeterum, ob proceſſum praeſertim, quo elicitur, non damnandus. — Vini potus in eſu piſcium damnandus eſt, magis garum veterum conuenit, quod ex aqua ſalſa, in qua piſces cocti ſunt, paratur, aceto et piperis granis additis. — Reſinae elaſticae loco viſcus aucuparium vlterioribus experimentis, proban-

bandum, eligi poterit. — Oſſium raſura vitri contracti acie perfici poteſt. Lima clauorum pedum ſuperficiem duram, vngues male conformatos, dentium eminentiam tollit. Verrucae digitorum ligno arena madida obducto commode laeuigantur. — Odontalgia a dente carioſo laborantes, nec non ii, qui eundem morbum ab aëre ventoſo admiſſo contraxerunt, multum leuaminis experiuntur, ſi gingiuas ſimulque dentem dolentem digitis comprimunt. — Iure abrogati ſunt proceſſus inquiſitorii contra ſagas, tamen non abrogandi proceſſus contra veneficas, maleficas; artes enim magicae, ſaltim nonnullis occultae, tamen proſtare queunt, quibus et prodeſſe et fallere, admodum autem quoque nocere poſſunt. — Vt ſimulati morbi cognoſcantur, diaetam, medicamenta ſeueriora praeſcribere praeſtat. —

V. *Diſſertatio de diebus intercalaribus, cum adverſariis nonnullis phyſico-medicis a* C. CHR. BÖTTGERO *defenſa. Erlangae menſ. Iunio.* 1784. Dantur etiam in chronicis morbis, hydrope, paralyſi, calculo, ſcorbuto, ſcabie, tranquilliores ſtatus et exacerbationes, ſi motus ſpectemus, quorſum etiam omnes feminarum adfectiones pertinent. In criticis diebus ex ſeptenario et impari dierum numero computandis ab omni ſuperſtitione, et rigida adeo temporum et dierum computatione abſtinendum quidem eſſe Ill. Auctor putat, non friuole vero negandum, quae fida experientia et obſeruatio docet, praecipue in morbis ſibi relictis, nec quodam modo turbatis. Sufficit dari, velut in vniuerſa natura, ſic et in morbis, tempora diesque, cum quibus plerumque ſingularia phaenomena eueniunt, medico conſideranda. Dies intercalares a veteribus non ideo adſumti eſſe videntur, vt ſtadium ſeptenarium compleant, quum praecipue ſynony-

mon

mon: *prouocatorii* ſuadere videatur, veteres alia de iis ſenſiſſe. Intermedii tamen veteribus inter dies indices et criticos, ſaltim non decretorii fuere, ſed multum abeſt, vt hos dies pro talibus habeamus, in quibus morbi induciae quaedam ſunt, quum in intercalaribus ſymptomata ſaepe peſſima incidant. Omnia autem, quae in febrium decurſu non rite et ex veterum mente eueniunt, inde explicari debent, quod morbi dies ſaepe non rite numerentur. — In primo et ſecundo acutarum ſeptenario dierum intercalarium ratio ſumma habenda eſt, adſtantibus videlicet aegrisque certum a medico ſalutis aut mortis praeſagium ex magnis ſymptomatibus, his diebus incidentibus, efflagitantibus, quod tamen ferri nequit. Superatis autem his ſeptenariis, tam anxiam conſiderationem hi dies non requirunt. Euacuationum in his diebus moderamen ſummum eſſe debet, nulla enim in iis criſis incidit. — Aduerſariorum opuſculo adiectorum argumentum, pro more Ill. Auctoris, varium eſt. Eductorum et productorum in chemicis termini confundi videntur, ſaltim id, quod e corpore impetratur, in eo non eodem modo latuit, quo chemiae ope in conſpectum producitur, ita vt mutatio ſemper fuerit praegreſſa, quae nec ſeparationis, nec eductionis ſolam ideam admittat. — Aër, qui e puluere pyrio producitur exploſione durante, inflammabilis eſſe videtur (alia docuit INGENHOUSIUS.) — Dephlogiſticatus aër a chorda ſemper eadem obererantibus tantopere ad omnes morbos laudatus ad ſingulos caſus certe non conueniet. — Solis eclipſes ob aëris perfrigerium ab iis inductum morbos inducere poſſunt. Lunae eclipſes morbos pariunt ob aërem ab obſeruantibus nocturno tempore corpori improuide admiſſum. — Neceſſe eſt, vt linum et goſſypium diuerſas admodum

dum conſtitutiuas partes habeat. — Lac plantarum admodum varium eſt variosque effectus habet. Singularis energia ex ſaponacearum, ſalinarum partium miſcela emergit. — Praxis eorum, qui ſpecifica, heroica ſubinde, ad omnia adhibent, minime rationalis eſt, empiriſmo fauens. — Ex cerebri, cerebelli, neruorum, oſſium, medullae tremore ſymptomata forte multa oriuntur. — Pedum ingratus ardor omnem fatigationem ſequitur, ſed lentae etiam febris comes eſt. — Opium in India ex papauere etiam albo flore et ſemine capitibusque maioribus paratur. — Iuſcula e cancris iuſculis viperinis ſubſtituenda. — Medicamenta ſpirituoſa diluta aegris dare expedit, concentrata enim ſi cum aqua ſumantur, reſina in iis ſaepe contenta ob aquam admixtam praecipitatur.

VI. *Cogitationes nonnullae circa efficaciam medicamentorum phyſicam, vitalem et medicam, cum propoſitionibus quibusdam chemicis a* IACOBO FRIDERICO SCHALTENBRAND *defenſae menſe Octobri* 1784. Mechanicae vires ad medicamentorum explicationem nullo modo ſufficiunt, ſola hac forte vi tamen agit mercurius viuus. — Aduerſaria chemica adiecta docent, regulum antimonii martialem non ideo martialem dici ſolere, quoniam ferrum contineat, ſed quod ope ferri, cum quo ſulphurea antimonii pars facilius vnitur, paratus ſit. Sal mirabilis Glauberi natiuus ex antimonii regulo ferrato ferrum, quod in eo latuit, extraxit. — Si vllo modo transmutatio metallorum perfici poteſt, perficienda nullo modo ſtanni ope eſt, metalli quippe auro et argento ſpecifice leuioris. — Oleum calcis, quatenus ſolutio concentrata terrae calcareae in acido ſalis communis eſt, frequentius occurrit, ac forte putatur, ſaltim in dilutiori forma. — Offa Helmontii obtinetur, dum calcis oleo tartari per deli-

qui-

quium oleum adfunditur. — Pyrophorus ſulphur neogenitum eſſe videtur ab acido aluminis et inflammabili ortum. — Liquor vini probatorius plumbum in vino contentum non denigrat, niſi recens admodum ſit. Cauſſa nigredinis in volatili reſidere videtur. Forte ex antimonii ſulphureis partibus alius et conuenientior liquor vini probatorius parandus. — Cauſſa, quod corallia rubra a nullo menſtruo penitus ſoluantur, in eo ſita eſſe videtur, quod corallia, praeter terram calcaream, argillaceam etiam contineant. — Dubium adhuc eſt, vtrum ſal ammoniacus Aegyptius hoc modo paretur, vt ſali volatili vrinoſo vitrioli, aut aliud acidum addatur. — Lapides calcarei, ſi ad aedificia adhibentur, incendio erumpente in calcem viuam mutantur. — Efferueſcentia, quae oritur, ſi terrae argillaceae acidum minerale adiicitur, terrae calcareae in illa habitanti falſo adſcribitur. Argilla enim, ſola adfuſa aqua, tumeſcit, ſpumeſcit. —

Index rerum operi additus eſt admodum locuples; nec non catalogi operum, quae hactenus Illuſtris Auctor edidit, ſupplementum.

V.

IOHANNES GOTTLIEB WALTER de morbis peritonaei et apoplexia. Cum tabulis aeneis. Iuſſu academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis. Berolini, literis G. I. Deckeri 1785. 92 pag. in 4to. cum quatuor tabulis aeneis ab I. B. G. Hopffer ad naturam delin atis, T. H. Meil ſculptis nitidiſſimis.

Eiusdem libri dimidia pars, diuiſa in media pagina, germanicam verſionem continet, quae titulum habet:

JOHANN GOTTLIEB WALTER *von den Krankheiten des Bauchfells und dem Schlagfluſs.* —

Noua vtiliſſimeque illuſtrata plurima liber Perill. luſtris viri continet, medico practico aeque ac rebus anatomicis et phyſiologicis dedito vtiliſſima.

De peritonaei morbis primum ſermo eſt. Peritonaei membrana penitus ſimplex eſt, nec vt veteres et neoterici quidam putarunt, ex duabus conſtat lamellis. Nullos neruos habet, aſt ſtupendum vaſorum ſanguiferorum numerum. Conuenit cum pleura, eo excepto, quod plura vaſa ſanguinea habeat. Saccum refert, qui aſperam ſuperficiem externam habet, ob celluloſam telam, qua cum partibus aliis abdomen conſtituentibus jungitur, et in infantibus et hydropicis totus detrahi poteſt. Internam ſuperficiem et verum progreſſum et expanſionem peritonaei verbis definire vix licet. Viſcera abdominis omnia inueſtit, eorumque membranam exteriorem efficit, ſerpendo inter omnia viſcera partim ligamenta, partim ſaccos, omentum, meſenterium, conſtituit, adeo, vt, ſi humana arte peritonaeum cum omnibus ſuis proceſſibus atque duplicaturis in vnam latamque ſuperficiem expandere liceret, corporis humani ſuperficiem magnitudine aut referret, aut excederet.

Summa autem peritonaei ſecretio eſt, ob ſtu-
p. 5. pendum vaſorum numerum, quae omnia ſiue adipem craſſum, ſiue halitum ſubtiliſſimum partibus oleoſis remixtum ſecernunt. In naturali ſtatu halitum ſubtilem peritonaeum ſecernit viſcera lubrica humidaque ſeruantem, is vero halitus ſuccusue in praeternaturali ſtatu noxius admodum euadit. Si-

viſci-

viſcidior, quam in ſtatu naturali, ſit, ſiue ſi vaſa peritonaei reuehentia partem tantum aquoſam atque tenuem admittunt, morbi magni oriuntur, viſcerum concretio, ſequioris ſexus ſterilitas, hydatidum generatio.

Tela celluloſa omnis quum ex viſcido tandem inſpiſſato ſucco oriatur, eadem tela ex viſcido et inſpiſſato peritonaei ſucco oriri poteſt, viſcera involuens, praeternaturalem in modum connectens, eorum functiones praepediens. Talis viſcerum concretio ſaepius obſeruatur.

Vt homo concipiatur, ouariorum et tubarum ſtatus perfecte naturalis eſſe debet. Inducitur hinc ſterilitas, ſi ouaria penitus deficiunt, qui caſus rariſſimus, forte nunquam hactenus obſeruatus eſt. Vidit Noſter, vnico exemplo, in foemina XXXI. annorum alterum ouarium perfecte deficiens. Foetum tamen haec mulier ediderat. — Si externa ouarii membrana e peritonaeo oriunda praeternaturalem in modum craſſa eſt, ouuli foecundationem impedit. Vidit ſaepius Noſter ouaria rugoſa, cicatricibus obducta. Tales foeminae infantes nunquam pepererunt ob craſſam nimis plicatamque ouariorum membranam. Hinc virgines veneri litantes rariſſime foetum concipiunt ob perpetuum verſus internas genitales partes ſanguinis adfluxum, earum irritationem et leuiorem inflammationem, membranarum ouarii craſſitiem praeternaturalem inducentem. Craſſiores forte etiam hae membranae factae ſunt, ſi foemina, vno alteroue foetu enixo, nunquam amplius foetum concipit. p. 8.

Tubae ſterilitatem inducunt, ſi viſcida materies earum lumina claudit, ſi earum fimbriae telae celluloſae praeternaturalis ope cum ouariis vel alia vicina parte concreſcunt, ſi externa internaque earum apertura praecluditur, vnde hydrops tubarum

ſaepe pendet, caet. Tales mutationes tubarum aliasque in pluribus centenis cadaueribus Illuſtris vir vidit, inprimis in meretriculis, in quibus clauſae ſemper obſtructaeue tubae inuentae ſunt.

p. 14. Hydatidibus origines peritonaeum praebet. Vidit Noſter in foeminae cadauere, cuius abdomen horrendum in modum intumuerat, praeter plurimas aquas, ſteatoma XV. librarum in fundo vteri haerens totumque abdominale cauum replens. Adhaeſit inſuper in vtroque latere coeco inteſtino hydatis ingentis molis, altera quatuor, altera trium librarum, eaeque hydatides maximae fuere a Noſtro vnquam viſae. Oriuntur hae hydatides ex humore peritonaei telam celluloſam membranamque poſtea cauam formante. Vaſa harum hydatidum extremitates vaſorum exhalantium peritonaei prolongatae ſunt. Pleura cum pulmonibus connexa praeternaturalem in modum, iniectio anatomica vaſa nouiter nata a pulmonibus in pleuram tranſeuntia demonſtrat.

p. 17. Proprium peritonaei morbum hydrops aſcites conſtituit. Oritur, ſi vaſorum peritonaei exhalantium extremitates vltimae paullatim ita dilatantur, vt halitus loco, fluidum copioſum, craſſum, ſecernant. Fluidum, ineunte morbo, pellucidum, odoris expers eſt, tunc ſana adhuc abdominis viſcera plerumque ſunt. Dum vero ſanguis corrumpitur, vāſorum lumina ampliora euadunt, fluidum turbatur, odorem foetidum nauſeoſum ſpargit. Subinde tantopere inſpiſſatur, vt puris ſublutei formam induat. Hoc in caſu abdominis viſcera plerumque tumida, indurata ſunt. Haec in aliquot centenis cadaueribus Ill. vir obſeruauit. — Spes eſt fore, vt aeger reſtituatur, dum paracenteſi inſtituta, inodora, limpida aqua profluit. Si viſcida et graueolens eſt, viſcera abdominis corrupta ſunt.

Si

Si in parte aliqua aquoſus tumor naſcitur, aquas etiam in peritonaei regione colligi indicat.

Thoracis cauum, membrana peritonaeo omni p. 22. modo ſimili veſtitum eſt. Si vaſa huius membranae praeternaturali qualicunque modo dilatantur, pectoris hydrops naſcitur. In cadaueribus pectoris hydrope demortuorum vaſa pleurae dilatata inueniuntur, nec non fluidum, pus referens, pulmonibus et reliquis thoracis viſceribus adhaerens. In eo nec aetas nec ſexus diſcrimen facit.

Ob lentam vaſorum dilatationem, pectoris et peritonaei hydrops nullam febrem comitem habent, aliter autem ſe res in puerperarum febre habet, in qua vaſorum peritonaei dilatatio ſubito naſcitur, vaſaque purulentam materiem, imo pus coctum ſecernunt. Hinc puerperarum febris Noſtro ea eſt, in qua, *praecipue poſt mortem*, plus vel minus per vaſa peritonaei ſecretum viſcidum vel tenue et foetidum fluidum in abdomine inuenitur, et hoc ſigno fatalis hic puerperarum morbus, ceu maxime diſtinctiuo, cognoſcitur. Vt autem huius morbi natura perfecte cognoſcatur, vterus quomodo ſtructus ſit, ſcire expedit. Demonſtrauit Ill. vir iam anno 1775. vterum ex vaſis ſanguiferis numeroſiſſimis telaque celluloſa valde elaſtica conſtare. Hanc opinionem plures impugnarunt, WRISBERGIUS inprimis et LODERUS. Diſcuſſis autem excuſſisque aduerſariorum argumentis, vberius docetur et prima figura adiecta illuſtratur, doloribus ad partum vrgentibus ſanguinem quidem per arterias vterinas fortiter pelli, ſed ſtatim in maiores venas tranſire, adeo vt nullum in ſtatu naturali ſanguinis externum profluuium ſubſequatur. Ex tam inſigniter libero arteriarum cum venis et arteriis maioribus commercio Noſter ſingularem plane caſum explicat mulieris Treptouianae, quae, editis ſecundinis, foe-

tum adhuc in vtero gerebat, obſtetricia arte educendum, nec ante aduentum Illuſtris viri, nec durante partu, duas ſanguinis vncias amiſerat. Obiit tamen puerpera, ob diaetae errores, ſeptimo poſt partum die.

p. 34. Copioſae hae ingentesque vterinae venae cauſſam puerperarum febris in vteri inflammatione poni non permittunt: facillimus enim ſanguinis in venas tranſitus eſt, indeque nulla arteriarum in ramos laterales preſſio ad inflammationem producendam omnino neceſſaria locum habere poteſt. In omnibus etiam muliercularum puerperarum febre demortuarum cadaueribus inflammationem vteri nunquam, *ceu cauſſam morbi*, detexit. Adfuit tantum vteri inflammatio lacerato ab obſtetrice vtero, ſed hac febre puerperarum demortuae non ſunt. — Inteſtinorum et omenti inflammatio in puerperarum febre etiam locum non habet. Copioſiſſimae obſeruationes experimentaque Auctorem noſtrum docuere, inteſtinorum inflammationem rariſſimam eſſe. Oritur autem inteſtinorum inflammatio, ſi interna inteſtinorum villoſa membrana inflammatur, qui caſus dyſentericis frequens eſt. In pluribus autem quam 5500 cadaueribus a ſe perluſtratis veram inflammationem inteſtinorum non amplius, quam quinquies, obſeruauit. Haec vera inflammatio ipſi eſt, quum inteſtina, praeprimis tenuia, paululum intumeſcunt, omnes inteſtinorum membranae craſſeſcunt, et inteſtina ſingularem adſpectum atque colorem praebent fereque anguillam aequant. Taliter adfecta inteſtina odorem ſpargunt, nullis verbis deſcribendum, omni modo terrimum, ſpiritum praefocantem. Manus talia inteſtina tractantes hunc odoren tam pertinaciter retinent, vt vix intra XXIV. horas ope ſuaueolentium rerum deleri queat.

In

In puerperarum febre vniuerſalis dilatatio atque inflammatio vaſorum peritonaei omniumque eius proceſſuum locum habet, indeque ex peritonaeo pus coctum referens materies exſudat, quam pro lacte translato medici habuere. Hinc membrana inteſtinorum externa a peritonaeo nata materia foetida, viſcida, purulenta circumfuſa, eademque in vteri ſuperficie, ouariis, tubis, pelui, caet. materies. Haec crebriora cadauerum extiſpicia ſaepiusque repetita partim pretioſa experimenta Auctorem docuere. p. 36.

Tabula aenea huic tractationi adiecta prima ſiſtit vterum exſiccatum foeminae hora, poſt partum XXXVI. demortuae, cuius arteriae materia cereacea dura, rubra repletae ſunt. Anaſtomoſes inprimis frequentes diligenter notatae ſunt.

Altera vterum refert foeminae, XXIV hora poſt partum mortuae. Venae diligentius diſtinctae ſunt, vt earum decurſus et cum arteriis coniunctio melius perſpici queat.

Altera libri parte *de apoplexia* agitur. Vario, vt videtur, modo homo moritur, at ſi rem diligentius perſcrutamur, mortis modos tam varios non eſſe perſpicimus. Naturalis certe mortis modus longe ſimplicior eſt modis mortis violentioris. Omnes, qui ad ſenilem aetatem peruenerunt, aut apoplexia, aut remotiſſimarum partium gangraenoſa inflammatione moriuntur, et ex talibus decrepitis decem, nouem apoplexia, decimus vero inflammatione gangraenoſa moritur. p. 43.

Sed in iuuenili et firmata aetate plurimi apoplexia moriuntur. Omnes gibboſi, breue collum habentes, infantes rachitici, pingues homines, potatores, ſuſpenſi, frigore, vaporibus mephiticis ſuffocati, hydrope pectoris, pericardii, cordis vitiis laborantes, qui cor cum pericardio concretum,

valvulas cordis ſciſſas, induratas habent, in febre acuta mente capti et furioſi, epileptici, conuulſionibus epilepticis morientes, tandem omnes, qui literis operam dant, apoplexia necantur.

Hinc ſumma apoplexiae ad mortem concitandam vis. Hinc certum de apoplexia futura plerumque praeſagium. Hinc caſus, vbi apoplexia lethum adfert, vberius explicandi. —

P. 47. Si gibboſa foemina foetum concipit, quilibet ei aut certam mortem, aut difficillimum partum praenunciat. Sors gibboſarum foeminarum et virginum aetate grandium fere ſemper eadem eſt, ridentur, dum coelibem vitam agunt, grauidarum ſortem omnes dolent. Vniuerſale eſt praeiudicium, gibboſarum partum difficilem ſemper eſſe: ſed rem ita ſe non ſemper habere, docet ſpinae dorſalis in gibbis inſpectio, quae vel ab vno ad alterum latus, vel ab antica verſus poſteriorem faciem curuata eſt, ita vt arteriae aortae decurſus curuaturam hanc praeternaturalem ſequi debeat. Illae gibboſae foeminae, quarum ſpina dorſi vt S. latinum curuata eſt, feliciſſimae ſunt, ob cauitates thoracis et dorſi anguſtiores quidem, at tales tamen, vt grauiditatem et partum feliciter vtplurimum ſuperent. Non ſine periculo autem eſt gibboſarum ſtatus, quarum ſpina ab antica verſus poſteriorem faciem curuata eſt, ob anguſtam admodum thoracis et abdominis cauitatem, actionesque thoracis et abdominis cum moleſtia ſuccedentes.

Vterus grauidus abdomen vehementer vrget, pectoris ſpatium anguſtius reddit. Hinc omnes abdominis functiones nec conſuetae ſatis nec celeres ſunt, magna abdominis vaſa ſanguifera comprimuntur, ſanguis ad alias partes, inprimis ad caput propellitur, talisque foemina hoc modo ſenſim ad apoplexiam praeparatur. Pectus anguſtatur. —

Si

Si vero omnes gibboſos generatim contemplamur, omnes maximam lineamentorum faciei ſimilitudinem habent, ac ſi fratres ſororesque eſſent, eandemque, ex eadem progenie prognati, familiam conſtituerent. Ea tantum intercedit differentia, quod alii gibberoſi magis, alii minus macilenti ſint. Omnes anxie ſpirant, ob ſpinam curuatam.

Haec quotidie obſeruamus in his, quorum diaphragma verſus ſupernas partes non vrgetur. Vterus grauidus certe augebit malum, grauidamque gibbam indies in intenſius apoplexiae periculum deducet.

Caute hinc grauidae gibboſae tractandae ſunt. P. 52.
Debili digeſtioni obuiam itur, ſi pauca admodum facileque digerenda nutrimenta ſumunt. Pernicioſa grauidis omnibus nimia alimentorum ingurgitatio eſt. — Difficillimi partus ex peluis foemineae mala conformatione naſcuntur. Sed talia peluis vitia gibbis adeo frequentia non ſunt, ita vt Noſter pluribus gibboſarum apoplexia exſtinctarum cadaveribus inciſis cuiuslibet peluim naturalem et conſuetae dimenſionis detexerit.

Obeſi homines apoplexiae periculum vitant, ſi P. 54.
obeſitatem diminuunt. In maiori vitae diſcrimine potatores verſantur. Qui cereuiſiam potant, obeſum ventrem et pingue corpus habent, vini potatores obeſi raro ſunt, faciem rubicundam, oculos ardentes habent. Aequale in ambobus apoplexiae periculum eſt.

Suſpenſi, aquis ſubmerſi, frigore necati, mephiticis vaporibus ſuffocati homines omnes apoplectici moriuntur. Omne enim, quod cerebrum ita comprimit, vt omnes actiones, cordis motu et reſpiratione exceptis, tollantur, apoplexiam inducit: compreſſio autem cerebri oritur, cum ſanguis per venoſum ſyſtema non tanta celeritate a capite

ad cor reuehitur, quam per arterias ad cerebrum ducitur. In hoc caſu non opus eſt, vt ad pulmones reſpiciamus. Cauſſa vero apoplexiae vnica in pulmonibus ſita eſt, ſi ob motum ſanguinis per pulmones difficilem, ſanguinis per venas e cerebro deſcenſus praepeditur.

Lis de modo, quo ſubmerſi moriantur, nondum nec compoſita ſatis, nec explicata eſt. Omnis res eo redit, vt diligenter inueſtigetur, num in pulmonibus et ventriculo ſubmerſorum aqua vnquam ſit inuenta, et quomodo epiglottis ſe habeat. Docent viri celeberrimi, hominem viuum in aquam lapſum mortuumque in pulmonibus multum aquae ſpumantis habere, epiglottidem patere nec aſperam arteriam claudere, in ventriculo nihil aquae inueniri, ſanguifera vaſa hominis viui in aqua mortui nunquam ſanguine turgida eſſe, ſi vero homo iam antea mortuus in aquam proiicitur, tum in eiusmodi hominibus nunquam aqua ſpumeſcens reperitur, atque cerebri vaſa quam maxime turgida deprehenduntur. Altera opinio eſt, quod in pulmonibus hominis in aqua mortui inuenti talis aqua rubicunda nunquam inueniatur.

Occaſionem ipſe Ill. Auctor habuit magnam ſubmerſorum hominum copiam inueſtigandi, nunquam vero aquam in ventriculo ſpumantem nec aquam in pulmonibus vidit, epiglottis ſe in omnibus eodem modo, vt in caeteris hominibus, habuit, vaſa cerebri ſanguine turgida fuerunt.

Vt epiglottis aſperam arteriam perfecte claudat, ſemper vis premens quaedam adſit neceſſe eſt. Si haec deeſt, epiglottis ad linguam retrahitur, tanquam ad conſuetum ſuum fixum punctum; quia autem in ſubmerſis nec in ore, nec in cauitate narium quidquam inuenitur aquae, epiglottis in ſtatu quietis ab aſpera arteria diſtat. Nec poteſt aqua

per

per aſperam arteriam in pulmones penetrare, quum epiglottis per aquam laryngi adprimatur et aquae tranſitus in pulmones denegetur.

In aquas autem delapſi iamque perituri in perpetuo ſtatu exſpirationis ſunt. Omnes, qui ſubito cadunt, eo in momento, quo lapſus finitur, anxie exſpirant, duranteque hac exſpiratione nihil in pulmones penetrare poteſt. Inſuper docet experientia, aquae guttam in aſperam arteriam delapſam intenſiſſimam tuſſim concitare, tuſſis autem continua ſubitaneaque exſpiratio eſt. Hinc et hanc ob cauſſam nulla in pulmonibus aqua ſuffocatorum aqua.

Suffocatorum pulmones Noſter cum aſpera ar- p. 60.
teria ex thorace exſecuit, nec comprimendo pulmones aquae quicquam elicere potuit. Omnes autem pulmones hominum aqua ſubmerſorum tanquam maxima vi inflatos vidit, indeque facile intelligendum eſt, aërem cellulas, ex quibus totus componitur pulmo, dilaceraſſe earumque multas in vnam cauitatem permutaſſe. Si tales pulmones comprimuntur, ſtridens oritur fragor, et rubra parumque ſpumans pituita in bronchiis aſperae arteriae adparet.

Modus autem, quo ſubmerſi homines apoplexia necantur, is eſt: Homo in aquam delapſus primo in angore ſubito inſpirabit. Tunc permanentes exſpirationes ſequuntur, omnes muſculi totius corporis conuulſiue contrahuntur, eodemque etiam modo velum palatinum et rimam glottidis dilatantes, contrahentes. Eo modo impeditur, vt nihil aquae per nares ad epiglottidem tranſire poſſit. Glottidis conſtrictores arteriae aſperae aperturam claudunt, aquae penetrationem praepediunt. Nunc aër in pulmonum cellulis incluſus et per corporis calorem magis elaſticus redditus cellulas pulmonum dila-

dilacerat, eos diſtendit. Vidit Noſter pulmones hominum aqua ſubmerſorum caeterum ſanos, quorum cellulae per aërem ita ruptae erant, vt veſicae vrinariae bouinae ſimiles eſſent.

Pulmones tantopere dilatati impediunt ſanguinem per ſyſtema venoſum de cerebro reduci, arteriae et venae cerebri intumeſcunt, cerebrum nervosque comprimunt, apoplexiam inducunt.

Rubra in pulmonibus hominum aqua ſubmerſorum ſpuma ex violenta ſanguinis in pulmonibus circulatione oritur a ſciſſis lateralibus arteriae pulmonalis ramis et ſanguine pituita et aëre remixto. — In aquis ſubmerſi eodem perfecte modo pereunt, quam ii, quos angina iugulauerat, eademque in cadaueribus perfecte obſeruantur.

Si viuus homo in vndis periit, ſanguis illius poſt mortem liquidiſſimus eſt, et ex vena ſecta, aquae inſtar, copioſe profluit, interfecti autem et poſt mortem in aquas praecipitati ſanguis ſpiſſus eſt tardeque et minime copioſe ex ſecta vena profluit. Rationem certi huius omni modo phaenomeni Noſter in principio alcalino volatili ſue ſanguinis ſpiritu ponit, quem aquae in ſanguine praecluſerant, qui vero in auras adductus per plurima euehentia vaſa in his, qui in atmoſphaera moriuntur, auolat.

p. 65. Remedia, quibus ſubmerſis ſuccurritur, non deſcribuntur, monet interim Ill. vir, non ſolum ſuperuacuum, ſed etiam periculoſiſſimum et maxime noxium eſſe hominibus aqua ſubmerſis aërem inflare calidum, quum pulmones iam per ſe admodum aëre diſtenti ſint. Methodus, verbo, ſubmerſos tractandi Ill. viro non arridet. Efficacia et veris cauſſis accommodata remedia adhibenda ſunt.

Aër in pulmones hominum vera apoplexia interfectorum, frigore enecatorum, vaporibus mephiti-

phiticis obnubilatorum, nec non infantum difficili et diuturno partu prognatorum vtiliſſime inflatur. Sed in horum pulmonibus nullus aër continetur, ipſi pulmones ab omni actione quieſcunt, anguli vaſorum pulmonalium acutiores ſunt, ſanguis in pulmonibus quieſcit. In hoc caſu cerebrum a vi illud premente liberandum eſt, ſanguinis copia minuenda, aër in pulmones inflandus. Aër dephlogiſticatus loco atmoſphaerici in hunc finem electus maiores atque celeriores effectus producet pluresque in vitam reuocabit, quam ab aëre atmoſphaerico fieri ſolet.

Nocet autem in aqua ſubmerſis et ſuſpenſis hominibus aëris in pulmones inflatio. In his enim pulmones dilatati, ſanguifera vaſa diſtenta, compreſſa ſunt, et ſanguinem nec per cauitatem anteriorem cordis ad pulmones, nec per eos ad cauitatem poſteriorem cordis defluere ſinunt. — Aqua ſubmerſis etiam inflatio fumi tabaci per anum nocet. Aër enim elaſticus copioſe ingeſtus inteſtinalem tubum dilatat, premit, thoracis cauitatem, diaphragma ſurſum vrgendo, anguſtiorem reddit, et cordis motum non leuat, ſed impedit.

Omnibus autem infelicibus, ſiue aqua ſubmerſis, ſiue ſuſpenſis, ſiue gelu vaporibusue mephiticis necatis ſanguis ſuperfluus ex capite deducendus eſt ſtagnansque in motum concitandus. Venam eum in finem capitis ſecamus, quia hoc modo ſanguis facillime celerrimeque deduci putatur. Plurimi chirurgi venam pedis eum in finem ſecant, ſed magno errore. Non enim perinde adeo eſt, quaenam capitis vena ſecetur, nec minus erroneum, ſufficere vnam tantum venam capitis. Plerumque venae iugularis ſecundae inciſio ſuadetur, aut potius ramorum maiorum venae iugularis internae; quod conſilium licet bonum admodum ſit, alia tamen

men non negligi debent. Natura ipſa viam a nobis eligendam monſtrat. Incidenda eſt vena iugularis interna externaque in vtroque colli latere, vt per quatuor vulnera abundans ſanguis cerebro educatur. Licet autem nonnulli numerum venarum incidendarum admodum magnum putent, mens tamen Noſtri eſt, venarum ſecandarum numerum augeri adhuc debere. Venae enim iugulares a cerebro quum diſtent, canales ei propiores eligere adhuc placet. Hinc vena facialis interna in vtroque latere, nec non in amborum oculorum interno cantho frontalis et ſupraorbitaria vena incidendae ſunt. Nunc nullus amplius canalis adhuc clauſus Ill. viro notus eſt, omnia ad vitam reuocandam reſerata eſſe videntur. Situs talium infelicium non horizontalis eſſe debet, ſed thorax cum collo et capite in ſitum verticalem ponendus, et deinde cum aqua tepida, ſpongiae ope collum et facies a ſupernis partibus ad inferna confricanda tractandaque.

Motus cordis non incitandus eſt auxiliis arte excogitatis, niſi poſtquam vnciae aliquot ſanguinis e venis inciſis profluxerint. Tunc ad motum cordis reſpiciendum eſt. Optima remedia eum in finem ſunt ſpiritus volatiles ad nares admoti, dorſi et plantae pedis cum pectine ſetaceo frictio, clyſmata ex aceto cum aqua. Si talis homo vitam recuperat, *cephalalgia*, febre, corripitur.

p. 73. De *cephalalgia* plura proponuntur. Tertiam ſanguinis circulantis partem caput accipit. Si etiam dimidia huius pars externas capitis partes petit, ſexta tamen ſanguinis in corpore vniuerſo contenti pars ad cerebrum fertur. Retineri tam magna copia in cerebro non poteſt, hinc pars abundans quouis modo quam citiſſime per venas deducitur. Expedit venas cerebri in internas et externas diuidere.

In-

Internae ſunt, quae ſanguinem a cerebro in ſinus ducunt durae matris, externae, quae ſanguinem a ſinubus in cor reuehunt. Internarum cerebri venarum origines maximo ſtudio inueſtigauit Ill. vir, eo lubentius, quia anatomicorum ſcripta parum luminis hac in re dant. Vt autem hae venae exacte cognoſcantur, praeſtat eas, priusquam arteriae iniiciantur, fluido quodam peculiari colore infecto replere, poſteaque alia materie arterias. Si arteriae primum iniiciuntur, materies facillime in venas tranſit nullo tunc modo diſtinguendas.

Puncta rubra in cerebri medullari ſubſtantia cultro inciſa apparentia veras ſanguineas guttas referunt. Multa eaque feliciter inſtituta experimenta Ill. virum docuere, has guttas tantum venoſum ſanguinem exhibere. — Venarum cerebri internarum duo genera ſunt. Primum ex ſubſtantia medullari immediate oritur, humoremque ſuum in durae matris ſinus continuo profundit. Alterum easdem perfecte, vt prius, origines habet, ſed in progreſſu ſingularem componit illum plexum, quem choroideum adpellant, ex quo maiores venae naſcuntur in durae matris ſinus ſanguinem ferentes. Vnicus tantum communisque duobus ventriculis chorroideus plexus eſt.

In dura matre diligentius exploranda operam p. 78.
omnem Ill. vir poſuit. Tres venarum ſpecies habet. Frequentiſſimae ex oſſium cranii interna ſubſtantia proueniunt. Alteram ſpeciem vena menyngea media conſtituit, tertiam venae durae matri propriae. Harum venarum omnium propagationes, ramos, diſtributiones tabula aenea adiecta prima et altera elegantiſſime exhibet.

Magna ſanguinis pars ex ſinubus durae matris per SANTORINI emiſſaria ad partes faciei externas fertur. Eorum inconſtantia tanta eſt, vt inueſtigari diffi-

difficillime poſſint. Optime in conſtantia et inconſtantia, maiora et minora diuiduntur.

Nunc ratio dolorum capitis, et quonam modo apoplexiam praecedant, facile intelligitur. Locus et ſedes dolorum in venis cerebri internis quaerenda eſt. Sinus enim in aequali ſtatu ſemper manent, venae e contra tenerrimae ſunt vnicam tenerrimamque membranam habent. Cumulatim per medullam cerebri, quae commune ſenſorium conſtituit, migrant, et nunc facile intelligitur doloris ab earum dilatatione origo, eo maior fortiorque pro dilatationis et compreſſionis ratione. — In externis cauſſis omnes capitis dolorem creant, quae ſanguinem fortiter commouent.

Haec ad veram apoplexiae theoriam ducunt. Primus apoplexiae modus is eſt, vt durae matris venae diu extenſae medullam tandem cerebralem neruorumque origines ita comprimant, vt fluidi neruei influxus intercipiatur. Secundus modus eſt, ſi venae cerebri extenſae iam dudum ſcinduntur, cerebrique haemorrhagia naſcitur. Talis ſciſſura in choroideo plexu plerumque, refertis ſanguine ventriculis, naſcitur.

Hinc in *tardam* et *ſubitaneam* apoplexia diuidenda. Tardae ſubiecti ſunt ſenes, ſtudiis diditi, potatores, obeſi, omnes aquam in pericardio, aut vitium in corde habentes. — In tarda apoplexia denatorum cerebro ſanguis ſemper extrauaſatus reperitur. — Subitanea apoplexia moriuntur aquis, vel alio modo ſuffocati, conuulſionibus epilepticis, furore demortui. In his venae cerebri vſque ad crepaturam diſtentae reperiuntur. Ex venis cum ſubſtantia medullari ſciſſis ſanguis profluit, in ipſis autem cerebri ventriculis nihil ſanguinis extrauaſati continetur.

Dome-

Domeſtica et cuiuis obuia apoplexiam auertentia ſunt ſtricta diacta, hirudines et venaeſectio. Omnia, quae ſanguinem ad caput violenter ducunt, vitanda. Omnia, quae ſanguinem venas cerebri distendentem minuunt, contra apoplexiam muniunt, ſed perinde non eſt, quaenam vena incidatur. Praeferenda venae iugularis inciſio. Hirudines, ſi ad oculos applicentur, ſanguinem breuiſſime certiſſimeque ex ſinubus durae matris eliciunt. Hinc ſi medici et chirurgi venarum capitis maiorem cognitionem haberent, pluribus apoplexia auerteretur, pluribusque eadem cognitione curaretur, inprimis ſi emetica, ceu ſumme in hoc caſu noxia, vitarentur.

VI.

IOSEPHI IACOBI PLENK, *chirurgiae doctoris, chemiae atque botanices profeſſoris publici ordinarii in academia chirurgica militari, nec non directoris pharmacopoearum militarium atque chirurgi ſtatus militaris ſupremi*, toxicologia, ſiue doctrina de venenis et antidotis. Viennae, apud Rudolphum Graeffer 1785. in 8vo. 338 pag.

In academiae chirurgicae militaris vſum, vt praelectionibus inſeruiat, liber conſcriptus eſt, nec plurima continet a Cl. auctore cogitata obſeruataue, ſed excerpta potius plurima in aphoriſmos redacta et praelectionibus academicis aptata, quae toxicologorum primarii HIERONYMUS MERCURIALIS, ARDOYNUS, CONRADUS GESNERUS, FRICCIUS, LINDESTOLPE, MEAD, RHEDI, PROGIANI, WEPFERUS, NAVIER, FONTANA, KRAPF, CAEL-

SI, STOERCK, MURRAY, prae omnibus vero GMELINUS, de venenis obſeruarunt literisque prodiderunt. Sola autem venena hominibus deleteria recenſuit, omiſſis iis, quae animalibus lethifera ſunt.

Venenum Cl. viro eſt, quod perexigua doſi corpori humano ingeſtum, aut extus applicatum, vi quadam peculiari morbum grauem vel mortem adfert. Diſtinguitur autem venenum in medicamentoſum et ſemper deleterium, quarum claſſi venena morbida vehementiora, hydrophobicum, peſtilentiale, caet. accenſentur. — Reſpectu indolis principiorum conſtitutiuorum venena diuiduntur a Noſtro in *acria*, *narcotica*, et quidem in narcotico-acria, narcotico-halituoſa, narcotico mechanica, reſpectu autem ſymptomatum venena habentur inflammatoria, draſtica, conuulſiua, paralyſin inducentia, narcotica, ſuffocatoria, exſiccantia ſepticaque.

p. 13. Diagnoſis autem veneni dati ſumtiue deſumitur ex ſymptomatibus inſolitis velociter incidentibus, ſaburra egeſta alii animali ad deuorandum data, cadaueris inſpectione, maxime autem ex notitia veneni botanica, chemicaue analyſi.

Primum ex animali regno venena pertractantur, venena ex colubris, ex inſectis, vermibus, amphibiis, piſcibus venenatis ex morbo animalis caeterum non venenati. Colubrorum venenatorum ſpecies XXVI. recenſentur. — Noſcuntur ſerpentes venenati, quod in ſuperiori mandibula, praeter dentes omnibus ſerpentibus communes, adhuc duobus longioribus pro lubitu ſerpentis exſerendis vel retrahendis dentibus, exiguo foramine pertuſis, gaudeant. Venenum ipſum autem eſt humor nulla acrimonia chemica praeditus, inodorus, pinguedinis recentis ſapore, quem ſub ipſum morſum in vulnus per dentes demittunt. Effectus veneni ſerpentum omnes ad ſubitaneam inflammationem, putre-

putredinem et ſpaſmos redeunt. Anticolubrina ſpecialia ad ſerpentum morſus ſpecifica ſunt *radix mungos*, quae in morſu Naiae et aliorum colubrorum Aſiaticorum profuit, *Senegae* radix, quae in crotalophoris et colubris Americanis, nec non in cherſea ſpecifica eſt, forſan et polygalae vulgaris et amarae radix, in ſimili caſu tentanda, *ſerpentariae Virginianae* radix, quae ad morſum crotali Boiconinga valet, *ariſtolochiae anguicidae* radix, cuius ſuccus ſerpentes adeo inebriat, vt impune tractari manibus queant, magna autem doſi datus eos ſub conuulſionibus necat, *lignum colubrinum*, *ophioxylum ſerpentinum*, *folia fraxini*, quae in morſibus colubri cherſeae et Beri ſpecifice laudantur, *vomicae nux*, quae ad naiae morſum laudatur, *alcali volatile*, *ſuccinatum*, quod ad morſum viperae gallicae, *radix gentianae luteae* et *mercurius gummoſus*, qui ad morſum viperae Italicae laudatur, *ſal culinare*, *oleum oliuarum*, *belladonnae folia*, *radices*. Quum autem antidota certis ſerpentum ſpeciebus accommodata tantum dentur, patet, auctorum circa ea diſſenſum hoc tantum componi poſſe modo, vt medicinae ſerpentum venenis contrariae ſecundum ſerpentum ſpecies diſtinguantur (quam tamen opinionem, nullis certis experimentis comprobatam, valde dubiam cenſemus).

Colubri ſecundum terras, quas incolunt, diviſi ſunt. Americani primum pertractantur, terra autem, quam incolunt, ſpeciatim, quod iure taxandum eſt, non deſignatur, ita vt de crotalo horrido v. g. tantum dicatur, quod in America, non autem notetur, vtrum in meridionali, an ſeptentrionali parte habitet.

Locum etiam in venenorum ex animalium claſſe habent aranea domeſtica, aranea tarantula, vbi tamen muſicae vis ad eius morſum denegatur, pulex penetrans, culex pipiens, apis mellifica. Vt au-

tem modum, quo Noſter ſua pertractat, lectores melius cognoſcere queant, capitulum de *aranea domeſtica* transſcribere placet.

p. 46. „Aranea domeſtica L. *die Hausſpinne.*

Habitat in feneſtris domuum non diligenter purgatarum. Vis noxia Araneae punctura inflammationem cauſſare dicitur. Nondum vero experimentis fide dignis euictum, araneas cum cibo vel potu deglutitas venenata cauſſaſſe ſymptomata.

Antidota. Inflammatio ab araneae punctura ſpiritu ſalis ammoniaci aut eſſentia caſtorei illita ſanatur.

Virtus medicata. Plebs tela araneae ſanguinem e vulnere ſiſtere et fumo telae accenſae haemorrhoides dolentes diſſipare ſibi ſolet.“

Ranae bufonis vrina et ſuccus lacteſcens verrucarum dorſalium venenatus cenſetur. — Gymnoto etiam electrico inter venena animalia locus eſt, quum tamen, praeter electricitatem ab eo aliis communicatam, nil periculi inferat, quod fere etiam de raia torpedine valet. Oua etiam putrida, rancida pinguedo, putridae animalium carnes venenis adſcribuntur. (carnes boum, ſi ſub inſigni ſolis aeſtu corporis motum admodum vehementem experti ſunt, poſt eumque ſtatim mactantur, admodum venenatae imo, mortiferae ſunt, de his vero nulla habet Noſter) — Rabies canina non arcetur, dum vermiculus ſublingualis catulis exſcinditur. Mercurialibus medicinis ad hunc ex morſu morbum praecauendum ſumma, licet non certa ſemper, vis eſt. Dandus autem interne mercurius gummoſus Noſtri eſt, externe vero vulneris ambitus vnguento mercuriali deligari debet. Dedit ſummo cum ſucceſſu Cl. vir feminae a rabido cane demorſae per ſex ſeptimanas quinque e mercurio gummoſo pilulas vulneraque vnguento digeſtiuo cum Neapolitano mixto deligauit. Optime forſan effica-

efficaciſſimeque aquae metus auertitur, ſi methodo mercuriali diaphoretica, diuretica, antiſpaſmodica, coniungitur. Hinc pilulae ex mercurio gummoſo, cantharidum puluere, belladonnae foliis, camphora et moſcho admodum proficuae ſunt. (Nos in XV. a rabidis canibus demorſis mercurialem curam vnguenti ope ſummo cum ſucceſſu inſtituimus. Poſtea, quum anagallidis herba admodum laudaretur, aegris anagallidem interne, mercurium externe, dedimus. Vſi ſumus etiam ſubinde cantharidibus, non neglecto tamen mercuriali vnguento, quod ſpem noſtram nunquam hactenus fefellit et omnes admorſos a canina rabie efficaciſſime praeſeruauit.) Virus varioloſum, morbilloſum, febris ſcarlatinae, ſcabiei, venereae luis, plicae Polonicae, cancri, leprae, peſtilentiae, morborum putridorum pertractantur. Putredinis antidotum acetum perhibetur.

Venena vegetabilia in narcotica acriaque diſtinguuntur, fungi venenati medium inter haec locum occupant. Peculiaris etiam venenorum vegetabilium glutinoſorum claſſis ſtatuitur. De hyoſcyamo nigro notandum eſt, quod folia ſiccata, ſi fumus eorum ex fiſtula, qua ad tabacum vtimur, hauritur, temulentiam ſummam ſtuporemque inducant. Paris quadrifolia adeo venenata non eſt, vt a quibusdam, ipſoque adeo auctore Noſtro perhibetur. Baccarum ad furunculos admodum dolentes externus vſus eximius eſt. Vim ſopientem et emollientem ſummam habent. — Lauroceraſi foliorum infuſio in obſtructione hepatis, et cataplaſma e foliis et farina in tumoribus ſcirrhoſis egregios effectus praeſtitiſſe dicitur. Lac, in quo lauroceraſi folia cocta ſunt, pro gargariſmate in angina pituitoſo-inflammatoria exhibitum prodeſt et mucum viſcidum copioſe educit. — p. 80.

p. 114. *Hippomanis Mancinellae* ſola exhalatio innocua penitus eſt. Experimenti cauſſa ſub vmbra huius arboris tribus horis degens cum ſociis Celeb. IACQUIN, nil mali inde ſenſit. — Coculi Indici venenis adnumerantur, quum tamen, ipſo Cl. Auctore adſerente, nulla obſeruatio proſtet, quae hos fructus hominibus eſſe venenatos probaret. — Experimentorum, quae IUNGHANSIUS, V. Cl. circa vomicam nucem inſtituit, nulla mentio eſt. — Fungi ſuſpecti generatim cenſentur omnes, qui odorem tetrum, ſaporem acrem habent. Caeterum nec ex colore, nec ex ſtipitis habitu, nec ex ſuperficie, nec ex induratione ſub coctura, certum venenatae qualitatis criterium. In quibusdam adeo, vt in agarico integro et lactifluo nec botanicus character ad veneni indolem detegendam valet. Coqui a ſingulo agarico, quem praeparant, fruſtillum dentibus decerpunt, acrimoniaque in eo deprehenſa, fungum abiiciunt. — Succus agarici muſcarii cimices necat. — Mala ſymptomata, quae poſt radicum paſtinacae vſum ſubinde obſeruari ſolent, annoſae et antiquae nimis radici tribuuntur. (magis ea aliis radicibus paſtinacae intermixtis tribuiſſemus, inprimis quum radices autumnali tempore, foliis a frigore iam corruptis, aut primo vere effodiantur.) Tiliae grana vim ſumme purgantem habent; (maxime vtique venenatam; *vidimus* ex pilularum granis ſex a chirurgo, puero quatuor annorum propinatis, quae maxima ex parte ex his granis conſtiterunt, mortem intra ſex horarum ſpatium, nullo remedio auertendam. Pater pueri grana duo earundem pilularum ſumſit et a nimia purgatione fere iugulatus eſt.) Rhois toxicodendri vires venenatae non adeo magnae ex Noſtri mente ſunt; ſed tam magnae ſunt, vt, dum quis anum folio ex hac arbore caſu decerpto detergeret, in partium harum

rum gangraenam lethiferam incideret. (Scilla maritima his, qui in ſcindenda, praeparanda ea, inprimis dum recens eſt, occupantur, digitos exedit. Vidimus inflammationem ſatis intenſam partium verendarum a manus, quae ſcillam tractauerat, contactu oriundam) — Euphorbiae ranunculique admodum copioſe pertractantur. Cornuto ſecali cauſſam morbi ſpaſmodico-conuulſiui Cl auctor tribuit, nec non necroſeos cerealis; nullis tamen propriis obſeruationibus fretus. Lac antidotus maxime efficax habetur. Viſcum aucuparium venenis etiam accenſetur, licet venenata eius qualitas nondum conſtet. Non eſt tamen, vt dubitemus, quin, ſi quis hunc viſcum maiori copia deglutiret, ponderis ſenſatio, cardialgia et alia ſymptomata exſpectanda ſint, praeſertim quum canes certe necentur, ſi picis ſubliquidae, qua ſutores vtuntur, quantitatem haud valde magnam ingerant. — Marina ſpongia ventriculo per fruſta in- p. 217.
geſta turgeſcendo, putreſcendo, et pylorum obſtruendo nocet. Puella XIV annorum a ſua matre ſeuerius tractata in eum melancholiae gradum incidit, vt intra biduum integrum manipulum ſpongiae vulgaris in minuta fruſta decerptum ſenſim deuoraret. Intumuit ventriculus, inanes vomendi conatus experta eſt, omnium ciborum faſtidio capta, anxia et ſubdelira fuit. Dato illico vomitorio gluten putridum cum integris fruſtis ſpongioſis euomuit et conualuit. (Mechanicum venenum vegetabile eſt, in animalibus inprimis tenerioribus inteſtinalem tubum perfecte praecludens eoque modo mortem inferens. Satis frequens oeconomorum in Saxonia mos eſt mures ſpongia cum lardo aut butyro frixa necandi. Eligunt in eundem finem etiam laneum impile in fruſta diſciſſum et cum butyro frixum.)

P. 221. Tranſitus a vegetabilibus venenis ad minerala eſt. Generalioribus paucis de iis praemiſſis, venena mechanica, terrea, acida, alcalina cauſtica, metallicaque pertractantur. Mechanicis venenis etiam *fuligo camini Anglicana* adſcribitur, nec praeclaram ſane rerum chemicarum cognitionem probat, partim quod Cl. Auctor hanc fuliginem mechanicis venenis adſcribat, quum tamen peculiari acrimonia gaudeat, partim etiam quod plurima aperte falſa de hac fuligine tradiderit. Sed vt ipſi lectores videant, in quam ridiculos errores probi caeterum doctique viri incidant, dum praecoci cura feſtinantique calamo libros ſcribunt, locum adponam:

„*Fuligo camini Anglicana.*

„*Fuligo ſplendens caminorum in Anglia. Engli-*
„*ſcher Ofenrus.*

„VIS NOXIA. Vlcus cancroſum ſcrotale cami-
„norum purgatoribus in Anglia familiare ex fuligi-
„ne ſcroti plicis adhaerēſcente naſcens, labem in-
„ſanabilem in partes genitales inque ipſa ima ven-
„tris viſcera transmittens inducit.

„ANTIDOTUM. Exciſio loci cancroſi in ſcroto."

Ex POTT, V. Cl. obſeruationibus haec omnia deſumta ſunt. Sed quis vnquam fuligini Anglicanae hanc vim tribuit, quae certe omni fuligini propria eſſet, ſaltem omni caminorum fuligini, in quibus carbones foſſiles cremantur? Quis ſplendenti fuligini vnquam hunc morbum tribuit, a fuligine magis volatica, quae fuligini ſolidae, ſplendenti adhaeret et a camini purgatore deuerritur, ſine dubio oriundum? Cancroſi demum loci exſtirpationem ne POTTIUS quidem tam generatim praecepit. —

P. 234. Vitrioli albi ſolutio, egregium ad aphthas oris, roſaceo melle adiecto, medicamentum eſt.

Si quis auri definitionem ſcire auet, is Plen- p. 339.
kium adeat. *Aurum natiuum* L. ex eius mente metallum perfectum eſt, ex *auri calce* et phlogiſto conſtans. (Plurima aliquoties dicta iam publice ſunt de Vindobonenſium famoſis rerum definitionibus, quas in praelectionibus proferunt, riſu magis excipienda, quam credenda; verum dum talia in *impreſſis* libris legimus in academicarum praelectionum vſum conſcriptis, facile ad credendum inducimur et has definitiones fictis adnumerandas non fuiſſe. Naſum definiiſſe ſic dicitur profeſſor anatomes: *eſt pars media in facie, habens duo foramina et ſeptum cartilagineum.*) Argenti eadem perfecte definitio eſt, mutandis tantum mutatis —

Cupri criterion ex Noſtri mente ſpiritus ſalis ammoniaci eſt, qui cuprato cibo vel medicamento inſtillatus ſapphirino colore cuprum prodit. (At quanta in chemicis Optimo viro deſint, allegatae iam definitiones probant. Longe aliae dantur experimentorum rationes, ſi cupri ſuſpicio adeſt.) Ab interno cupri vſu plane abſtinendum eſſe Noſter putat; ſed licet certum ſit, cuprum in corpore humano ſub qualicunque forma venenatos effectus edere, certum tamen etiam eſt, plures epilepticos iam ſale ammoniaco cuprato et aliis medicinis, quarum compoſitionem cuprum ingreditur, ſanatos eſſe. Sufficit vtique probatorius liquor ad plumbum cognoſcendum vino admixtum, DELIO etiam V. Ill. in aduerſariorum quarta parte, nuper monente *) ſed recenter paratus eſſe debet. — Oleum ricini ad morbos a plumbo oriundos efficaciſſimum eſt. — De ſtanno in puluerulenta grana redacto ad taeniae ſpecies quasdam ſpecifico altum apud Noſtrum ſilentium eſt, qui ſtanni raſuram tantum commen-

 dat.

*) Vid. Comment. noſtror. ſupra p. 625.

dat. — Mercurium gummoſum ſuum vbique Noſter laudat, alii vero vnguentum mercuriale praeferunt.

p. 280. *Halituoſorum venenorum* titulo halitus acidorum mineralium, aëris fixi, alcalini, phlogiſtici, putridi, metallici, terrei et vegetabilis comprehenduntur. Omnia haec venena maxime in pulmones agunt, aſphyxiam vel ſuffocationem inducendo. — Aër in cubiculis orphanotrophiorum a ſiccatione linteorum ab vrina infantum conſpurcatorum teterrimum ſpargit odorem vrinoſum, qui oculos rubefacit et tuſſim inducit. Inde forte infantum febris miliaris, aphthoſa et necroſis buccarum atque genitalium, qui morbi in orphanotrophiis ſordidis tot neonatorum rapiunt.

Cloacarum halitus vini aceto ad IANINI mentem emendandus eſt; ſed recentiores Gallorum obſeruationes docuere, hanc medicinam parum ad haec effluuia valere. Interiere adeo foricarii, dum in cloacas deſcenderent a IANINO pro innoxiis declaratas. Odores demum plurimi pertractantur, animales, vegetabiles, grati, aromatici, quos mortem aliquando aut ſymptomata morbida intuliſſe conp. 335. ſtitit. Appendice venena, quorum indoles hactenus ignota eſt, pertractantur, aqua Toffana, ſucceſſionis puluis, et venena quaedam, quibus Indiae et Americae incolae tela inficere ſolent.

Toffana aqua ex arſenico cryſtallino in larga aquae copia per ſimplicem coctionem ſoluto conſtare putatur. (Similia, ſed alia tamen ſimul docuit de eadem aqua venenata PYL, V. Cl. in promtuario ad medicinam forenſem, cuius opuſculi cenſura in commentariis noſtris legitur *). Succeſſionis puluis ex-

*) Vol. hui. Part. III. pag. 388.

ex ſaturni ſaccharo et arſenici particula conſtare putatur: alii tamen venenum plumbi ſolummodo praeparatum eſſe adſerunt. Index libro ſatis bonus additus eſt *).

VII.

Opuſculi ſcientifici di FEL. FONTANA. in Firenze. 1785. per Gaetan. Cambiagi in Lipſia apreſſo Gleditſch. 8. p. 219.

Continet hoc volumen praeter fragmentum alterius epiſtolae quinque litteras, a Celeb. Auctore ad alios atque alios amicos datas.

Prima, Duci DE CHAULNES inſcripta, de reſpiratione agit. Aërem inflammabilem ſine periculo mortis pulmone penitus et lente euacuato vix ter potuiſſe ab ipſo inſpirari; eſſe autem, quemadmodum aërem, quem vocant phlogiſticatum, per ſe inſontem, niſi inſpiretur; aërem autem fixum veri veneni vices agere; non meris phyſicis, quas appellant, dotibus, aërem vitae ſuſtinendae inſeruire: Animalia, aëri communi incluſa, eodem temporis ſpatio mori, quo moriuntur, ſi aër ex aequis partibus communis atque inflammabilis, aut ex aequis partibus communis ac phlogiſticati mixtus ſit; animalia igitur aëri inflammabili aut phlogiſticato incluſa non mori huius aëris vi, ſed defectu aëris communis; reliqua autem, ſi dephlogiſticatum exceperis, aëris nomine venientia, ſua natura eſſe lethifera; ab aëre fixo, ſi dephlogiſticato immiſceatur, animalia manifeſte pati, et motibus voluntariis exercendis imparia reddi; alia aëris genera, dum inſpirentur, p. 1.

*) Idem liber in chirurgorum vſum etiam germanice prodiit, titulo: *Toxikologie oder Lehre von den Giften und Gegengiften. Wien, bey Gräffer. in 8v. 1 Alph.*

tur, in ſuas partes diuelli, eoque ipſo magis adhuc nocua fieri: Principio vitali non orbari per reſpirationem aërem, corruptum enim phlogiſticis effluviis aërem agitatione in aqua facta ad ſuam reuerti ſalubritatem; aërem phlogiſto ex pulmonibus exeunte in phlogiſticatum conuerſum ſua natura eſſe innocuum; aërem exſpiratum funeſtum eſſe, eo quod aërem fixum pulmonum ſibi immiſtum habeat, et phlogiſton ex pulmonibus exhalans, quod ex atmoſphaera aërem fixum praecipitet. Tantum abeſſe, vt inſpiratio ab exſpiratione non excepta ſanguinis per pulmonum vaſa motui obſtet, vt potius pulmones aëre inflati ſanguinem tanto facilius transmittant. Aërem phlogiſto iam onuſtum phlogiſton ex pulmonibus adſcendens ſuſcipere non poſſe, ideo ſupprimere reſpirationem; Phlogiſti accumulationem in ſanguine impediendam eapropter eſſe, quia muſculorum irritabilitatem minuat.

p. 21. p. 124. Altera ad Clariſſ. ADOLPH. MURRAY Vpſaliam data, cum duabus appendicibus. Nouas primo Suecorum naturae ſcrutatorum opiniones ponderat. In experimentis cum 37 muribus, 452 auibus et 179 cuniculis indicis captis vidit, aërem his animalibus campanae ſupra argentum viuum poſitae incluſis circumfuſum ad $\frac{1}{30}$-$\frac{1}{27}$ minui, tanto magis, quanto diutius inſpiratus ab animalibus fuit, magis adhuc, et ad quartam vſque partem, ſi cum aëre dephlogiſticato capta fuerint experimenta, aëris fixi maiorem gigni copiam, quam quidem volumen aëris imminutum ſit; incrementum aëris in nonnullis periculis obtingens ab aëre pulmonibus animalium incluſo deriuat, ab aëre, pilis et plumis ſemper adhuc adhaereſcente; phlogiſton igitur ex pulmonibus egredi, nequaquam ab iis reſorberi: In omnibus his tentaminibus imminutionem voluminis et cor-

corruptionem aëris aequo pede progredi; aërem, in quo candela arſerat, multo minus et volumine diminutum et deprauatum deprehendit: aërem, in quo ſanguis recens ſupra argentum viuum calefactum ſtetit, volumine vix imminutum, vix corruptum vidit, niſi concuſſus fuerit ſanguis, ſiue communis ſit, ſiue dephlogiſticatus; in altero potius experimento poſterior volumine creuerat, prior minus; alteruter multo magis deprauatus erat, et ex parte in aërem fixum conuerſus. Moueri autem dum in pulmonibus aërem contingit, per ſanguinem autem non deprauari modo aërem, ſed praeter eam, quam ſemper continet aëris fixi copiam, $\frac{1}{5}$ adhuc ad minimum admiſceri, non ergo ſolum phlogiſton, ſed vna cum eo aërem fixum exire ex pulmonibus; hunc nequaquam omnem ex ſolo phlogiſto cum aëre commiſto naſci, aëris fixi vtique perparum contineri in ſanguine; ideo non ſubito mori animalia incluſa, poſſe tamen egredi, quamuis nulla opitulante affinitate. Aër quoque inflammabilis aeque ac phlogiſticatus volumine creſcit, ſi diu ſanguinem contingit, magis adhuc, ſi cum eo concutitur; omne tamen incrementum in aëre fixo ſic generato atque admiſto poſitum eſt. Transſpiratione inſenſili aërem communem notabiliter non phlogiſticari; nimis parcam phlogiſti copiam per alias vias e corpore egredi, exire igitur per pulmones; aërem inflammabilem, multoties etiam a cuniculis campanae mercurio impoſitae incluſis, inſpiratum, in ſuis quidem experimentis inflammabilem indolem nunquam exuiſſe. Animalia, quae, capite tamen libero, ſacco incluſerat, aëre fixo, inflammabili aut phlogiſticato referto, neutiquam periiſſe.

Altera huius epiſtolae pars ſpectat opinionem, quam Sueci phyſici habent de generatione caloris atque

que aëris dephlogisticati, de reductione calcium metallicarum et de decremento, quod aëris species respirabiles a phlogisto patiuntur: Dum calx mercurii sola ignis vi in statum metallicum reuertitur, nullam fieri caloris decompositionem; quod in eo labore prodit, non esse, nisi aërem dephlogisticatum, qui, quum argentum viuum in calcem abiret, ipsi adhaesit; vix vllam metalli calcem omni spoliatam esse principio inflammabili, eapropter nobilium metallorum calces tam facile in statum perfectum redire. Multa experimenta, quae manifesto ostendunt, in inflammatione corporum nihil aëris dephlogisticati suo cum phlogisto coitu in calorem conuersi hac noua forma trans vitrum euadere; pondus certe exactissima libra examinatum semper idem mansit post refrigerium, quamuis, dum calebant adhuc vasa, decreuisset. Ex carbone, quem ardentem in aqua frigida exstinxit, aërem inflammabilem obtinuit, alia atque alia aëris genera, prouti in hoc vel illo liquore exstinxerat.

Tertia pars huius litterae aërem fixum, quem in atmosphaera haerere, multi existimant, examinat. Aërem fixum, modo experimentum supra argentum viuum instituatur, ab aëre nitroso ne hilum quidem minui; non ergo esse aërem communem, quod, si aër fixus in aqua soluitur, semper remanet, non tamen semper eadem copia, maiore, si aër fixus diu aquam contingat: videri igitur produci, dum aër fixus ab aqua absorbetur; idem accidere, si aer fixus a quocunque corpore contingente volumine decrescat; phlogiston igitur, quo ne aqua quidem careat, partem aëris fixi, qui cum ea concutitur, leuiter, sit venia verbo, phlogisticare; hanc ideo ab aqua absorberi non posse; ex eo concludit, aërem fixum in statum aëri communi propinquum deuenire posse. Magnam quidem continuo

tinuo aëris fixi in noſtra hac tellure euolui copiam; ſed magnam quoque ſingulis momentis abſorberi, praeſertim ab aqua; aërem fixum ponderoſiorem eſſe communi; non erga ſuſpenſum eſſe (ſolutum tamen) poſſe in atmoſphaera, quod Cl. Auctor obſervationibus quoque atque experimentis nonnullis probare tentat: aquam ſucco heliotropii tinctam toties et diu cum aëre communi concuſſam nunquam rubeſcere; aëris etiam alias ſpecies, ſi concuſſione in aqua facta innoxiae fiant, et phlogiſti emanatione inficiantur, aërem fixum exhiberé, cuius antea ne veſtigium quidem monſtrauerint; aërem igitur fixum, quem communi inhaerere putent, demum gigni; calcem aliasque terras et ſalia cauſtica, ſuo quoque, quo non carent, phlogiſto partem aëris communis ſibi proximam in fixum commutare. Acidum nitroſum in aërem fixum, phlogiſticatum et communem diuulſit Cl. Auctor. Alia etiam acida in aërem conuerti poſſe. Nimis parcum adhuc eſſe numerum experimentorum, quibus lucis et plantarum vis aëris vitia corrigens adſtructa fuerit; conditione vnica, quae vegetabilia natiuo ſtatui magis appropinquat, mutata, plantas, quae luci expoſitae ſaluberrimum exhibere debebant aërem, ſuppeditare nocentiſſimum: Corpora illa organica, ex quibus aquae purae innatantibus aër dephlogiſticatus emanet, non eſſe plantas, ſed animalia ſimplicia, quibus etiam tremellam accenſet Cl. Auctor; dari ergo etiam animalia, quae ſole illuſtrata aërem dephlogiſticatum porrigant. In prima huius epiſtolae appendice alium atque alium, quo aëris aliae atque aliae ſpecies pollent, aër dephlogiſticatus, phlogiſticatus, inflammabilis, nitroſus, fixus, vitriolicus, aër ſalis marini, fluoris mineralis, alcalinus, arſenicalis, hepaticus, ille denique, quem ſtanni in aqua regis ſolutio eructat, elaterem definit

nit

nit Cl. Auctor; alium adhuc esse aërem, qui adscendit, dum platina in aqua regis dissoluitur, a reliquis non vna nota discrepantem. Altera appendice de soliditate et fluiditate corporum differit Cl. Auctor. Vim expansivam calori inhaerentem oppositam; vi attractionis partes corporum alias ab aliis remouere, et causam praecipuam esse fluiditatis; liquores vel ponderosissimos, sublatis impedimentis externis, in auras dissipari; esse igitur vim illam expansiuam superiorem vi attrahenti, neque inferiorem grauitate liquorum; aëris ergo alias atque alias species aliasque materias volatiles sola pressione externa, quae vim expandentem grauitate superiorem limitabat, sublata, ex corporibus egredi; fluidum igitur corporum statum esse accidentalem, eo quod insigne frigus omnia fluida in solida convertat, excepto aëre, cui consolidando maius quam in aliis requiratur frigus; esse illam vim expandentem praecipuam caussam, cur corpora in vapores abeant: Vim vaporum a magna caloris immisti copia proficisci, quae singularem corporum indolem sequitur; vapores ideo tam facile posse comprimi, quod non superanda sit, nisi vis illa expansiua. Elateris sui tenacissimas esse omnis aëris species, si supra argentum viuum asseruentur; eas etiam, quae alias ab aqua non absorbentur, absorberi, modo aqua priuetur omni natiuo suo aëre, aut illae diu satis huic superstent; principium, quod elaterem ipsis in ipso frigore conseruet, non esse nisi phlogiston; hoc enim inhaerere omnibus, aëri nitroso ita, vt penitus saturatus sit; aërem inflammabilem non vt aërem corporibus inhaerere; latere alterum, quod in illo cum phlogisto coniunctum sit, principium; flammam esse operationem chemicam, qua continuae fiant aëris dephlogisticati in atmosphaera haerentis, et phlogisti ex corporibus com-

combuſtibilibus eliſi decompoſitiones et compoſitiones; ignem electricum veram eſſe flammam; omnes, quas flamma, mutationes corporibus inferre et ab iis pati; phoſphoros etiam non lucere tantum, ſed ardere quoque. Magna ignis copia, quae reliquis partibus vnita illius cum aqua connubium deneget, perfundi aërem dephlogiſticatum; aërem nitroſum tam facile phlogiſto ſuo orbare, quod in hoc laxius adhaereat, quam in aëre inflammabili.

Tertia epiſtola ſimiliter ad Ducem DE CHAULNES ſcripta thermometra et calorem ſpectat: Multum laudat thermometra cum tubo octo-decem pollices longo et bulbo, cuius diameter lineam aequat, ob eximiam ſenſilitatem; argentum viuum conſpicuum adhuc eſſe, ſi partes thermometri gradibus conſignatis oppoſitae poliantur. Thermometra, quorum tubus 3-4 pedes longitudine aequat, quamuis duo tantummodo thermometrorum conſuetorum, ſed ſingulos in 2000 partes diviſos conſignent; alia binos gradus congelanti aquae, alia binos gradus bullienti aquae proximos, licet Cl. Auctor fateatur, ambos iſtos terminos parum fidos eſſe; alium atque alium eſſe aquae bullientis calorem pro alia atque alia exhalationis intenſitate, ignis ad vaſa applicatione, aëris in aquam et vaſa actione, vaſis ipſius craſſitie: Calorem prunarum et flammae trans glaciem et corpora pellucida, quae facile funduntur, non ſenſibiliter propagari, propagari autem calorem ſolis; ſi thermometrum glaciei immerſum ab omni parte cingatur carbonibus, argentum viuum incluſum in altum ſalire, non ſalire, ſi ab vna tantum vel altera parte cingatur. p. 156.

Quarta epiſtola Clar. GIBELIN data nouum remedium veneno viperae oppoſitum examinat, et fluidum filis neruorum primitiuis incluſum adumbrat; p. 171.

brat: Nonnullis agnis et cuniculis a vipera morſis ſpiritum cornu cerui tantopere celebratum in venam iugularem iniecisſe, mortuos tamen esſe: Ruſticos Ferrarienſes vulneri a vipera inflicto terram imponere, et ſaluari, non ſanari tamen morbum, nec mere ſit internus: Quum inter duo vitra cryſtallina microſcopii ope flocculum cylindrorum neruoſorum primitiuorum oculis vſurparet, materiem glutinoſam, elaſticam, pellucidam animaduertit, quae aqua non ſoluebatur, et in granula minima rotunda rubro ſanguinis globulo 4-5ies minora diſſiliebant, quorum immenſa copia cum ſumma celeritate per cylindros illos decurrebat; esſe ergo illos cylindros veros canales, et granula illa forſan principium motus animalis.

p. 184. Quinta epiſtola ad Clar. DARCET data lucem ouium, taenias, ſtructuram lentis cryſtallinae, et origines vaſorum lymphaticorum pertractat. Erat in illo morbo qui multum accedit ei, quem in noſtra Germania appellamus *das Drehen*, non raro magna pars cerebri deſtructa; inuenit etiam ſemper in cerebro veſicas, refertas innumeris et ſaepius viuis adhuc vno fine firmiter adhaerentibus, in liquido natantibus corporibus oui figura conſpicuis, veris papillis ſuis inſtructis hydatidibus, quas noſtri etiam Germani norunt, tanquam cauſſam iſtius morbi. Diſſerit de hydatidibus in abdomine aliorum animalium, praeſertim cuniculorum, a ſe deprehenſis. Exempla, vt putat, neruorum regeneratorum. Lentem cryſtallinam ex cylindris minimis ſolidis, pellucidis, parallelis et arcuatis contextam esſe. Fila illa tortuoſa, toties a ſe obſeruata, vera quaſi ſtamina esſe vaſorum lymphaticorum.

p. 210. Accedit adhuc fragmentum litterarum ad fratrem ab Ill. Auctore datarum, quae lucem, flammam, calorem, phlogiſton ſpectant. A luce ſolari corpo-

pora magis pellucida et ſubtilia non calefieri, vix calefieri corpora alba et opaca, et non niſi ea, in quibus retinetur: Flamma calefieri corpora vel maxime pellucida; a flamma exterius vitro applicata calces metallorum ignobilium vitro contentas non reduci; calore expelli ex corporibus phlogiſton, et penetrari omnia corpora; phlogiſto excludi ex corporibus calorem; ipſam ſcintillam electricam in ſpatio aëre vacuo diſparere.

VIII.

Giornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina de queſto ſecolo.

i. e.

Diarium inſeruiens hiſtoriae ratiocinanti medicinae noſtri ſeculi. Venet. apud Paſquali. 4. Vol. I. 1783. p. 500.

Princeps quidem operis finis eſt, vt, quos ſcientiae ad medicum pertinentes noſtro aeuo, exterorum praeprimis opera, faciant progreſſus, gentilibus Auctorum innoteſcant; ſed exteris etiam, quorum intereſt, quid apud Italos in emolumentum ſcientiarum fiat, quae noua detegantur, quae opiniones valeant, quae hypotheſes fingantur, ſcire, optime inſeruire poteſt; ea enim eſt operis ratio, vt Auctores enarrent, quicquid in aliis atque aliis ad medicinam ſpectantibus diſciplinis, anatomia, phyſiologia, ſiue, vt Auctores loqui amant, medicina theoretica, medicina practica, chemia medica, et chirurgia alii atque alii Illuſtres Viri praeſtiterint, nunc ſuccinctam operum, quae ediderunt, epitomen ſuggerendo, adiecto nonnunquam, modeſto ſemper, iudicio, nunc generatim tantum-

modo doctrinae ſtatum recentiorem, nominatis tamen, qui de eo praeſertim meruere, viris, commemorando.

Comprehendit primum hoc volumen numeros, vti quidem ſectiones appellant Cl. Auctores, duodecim, in quibus ſingulis dictis modo ſcientiis paginae ſuae deſtinantur, addito ad finem articulo, qui miſcellanea continet: Ita e. g. articulus poſterior epitomen experimentorum clinicorum ab Ill. HOMIO captorum ſubminiſtrat, praemia ab Ill. Medicorum Academia Pariſina expoſita, exponit, AKERBERGI de vſu corticis ſalicis in febribus intermittentibus, et Cl. ANJOU de radice caryophyllatae vulgaris diſſertationem; Acta Academiae ſcientiarum Diuionenſis et Vpſalienſis nec non Medicorum Pariſinae et phyſicae italicae; SAXTORPI nouam haemorrhagias vteri poſt partum tractandi methodum; MARIGUES de formatione et diuerſis vitiis calli in fracturis oſſium naſcentis, DE ROUSSEL diſquiſitionem de variolis; MURRAYI progr. de tinea capitis; GASTELLIER de ſpecificis, aliaque recenſet, non raro etiam extracta ex aliis diariis inſerta: Ita ſectio anatomica de vaſis lymphaticis per nouem faſciculos agit, et quae recentius, HEWSONII praeſertim induſtria, in ea doctrina inuenta ſunt, commemorat; in reliquis GENNANI de ſtructura cerebelli; VARNIER de irritabilitate pulmonum; AD. MURRAYI de ſenſibilitate oſſium morboſorum; SABATIER de motu coſtarum; THOURET tractatus de naturali oſſium cranii in recens natis formatione; vicq D'AZYR de ſtructura organi auditus in auibus perſtringens.

Sectio phyſiologica refert, quae recentius in explicando calore animali praeſtitere Ill. KIRWAN, BLACK, LESLIE, CULLEN, FOURCROY, CRAWFORD et VOLTA, quae Ill. ROSA de expanſili in arte-

arteriis dominante vapore ſcripſit, et quae huic doctrinae fuerunt oppoſita a Viris Celeberrimis MOSCATI, LANDRIANI et CARMINATI, ex iis, quae hactenus inuenta ſunt, aliarum atque aliarum aëris ſpecierum in corpus humanum influxum oſtendit, (in qua recenſione ex aliis memorabilibus id tantum notamus, noſtros etiam auctores dubitare, an aër inflammabilis idem ſit cum phlogiſto, et cum aliis putant, aërem inflammabilem, qui, dum metalla acidis ſoluuntur, ſurgit, neque ex his, neque ex illis, ſed ex aqua hac via decompoſita, prodire).

Sectio medicinae practicae dicata, quae recentius praeſertim de epidemiis, in primis Ill. ROSA, de meteorologia ad rem medicam et ruralem applicata, Clar. RETZ, de inoculatione peſtis ac variolarum B. VAN SWIETEN et Clar. SAMOILOWITZ, de variolis naturalibus et prauis inoculationis effectibus MACQUARTI et ANDRIAE, Cl. AZZOGUIDI, Medicus Pariſinus, de lue venerea recens natorum, SIMONS de ſanatione gonorrhoeae, ANDRY de rabie canina diſſeruerunt, enarrat. Sectio chemica analyſin et productionem artificialem aquarum mineralium, et B. BERGMANI, et Cl. GIOANETTI inprimis de hac doctrina merita, COMETTI de mixtione tartari emetici cum cortice chinachinae et BERGMANI de tartari emetici praeparatione conſilium deſcribit: ſectio denique chirurgica POTTII, RICHTERI, SCHMUCKERI, KOELPINI de vulneribus capitis, eorumque ſanatione, prioris quoque de fiſtula lacrymali, et cataracta, LUDWIGII denique de ſuffuſionis per acum curatione tractatum exponit.

Sufficit ſumma horum capita indicaſſe, quum de omnibus atque ſingulis paſſim in his noſtris com-

mentariis egerimus, pluraque ab Auctoribus Cl. ex iisdem excerpta sint.

IX.

L'art de connoitre et d'employer les medicamens dans les maladies, qui attaquent le corps humain, par M. DE FOURCROY. à Paris, 1785. in 8. 2 Volum.

i. e.

Ars cognoscendi et adhibendi medicamenta in morbis, qui aggrediuntur corpus humanum, auct. DE FOURCROY. Paris. 1785. 8. Vol. I. Sect. I. quae generalia materiae medicae comprehendit p. 450. vna cum praefamine p. XXIV. Vol. II. Sect. II. continens therapiam generalem p. 390.

Sunt haec duo volumina quasi prodromi amplioris multo operis, quo in quatuor similia volumina partito Cl. Auctor primo historiam medicamentorum simplicium ex regno tam minerali, quam vegetabili atque animali, petitorum, tum medicamentorum arte chemica, postea medicamentorum arte, vt vocant, Galenica paratorum, denique modum ac praecepta in medicamentis componendis et praescribendis obseruanda, siue, vt vulgo loquuntur, artem conscribendi formulas tradet.

Primum, quod coram habemus, volumen in historia materiae medicae illustranda, in diiudicandis, qui eodem tramite praegressi sunt Cl. Auctorem, medicis, inter quos tamen POERNERUM, MELLINUM, LOESECKIUM, MURRAYUM, LINNEUM, (quem tamen alio in loco nominat) eiusque Commen-

mentatores, aliosque non recensitos esse dolemus, in enarrandis aliis atque aliis medicorum, vti quidem audiunt, sectis, in tradenda medicamentorum secundum saporem, odorem, indolem chemicam, efficaciam in corpus animale partitione, in demonstranda historiae naturalis, chemiae, et potissimum obseruationum in aegris ipsis institutarum ad dignoscendas remediorum virtutes necessitate, in commemorandis obstaculis huic artis salutaris parti oppositis et mediis, quibus tolli illa possunt, versatur.

Diuidit Cl. Auctor materiam medicam in materiam medicam stricto sensu sic dictam, quae medicamenta tantummodo simplicia (et cruda) tractat; in chemiam medicinalem, quae (Auctoris sensu, nostro enim amplior est eius ambitus) medicamenta arte chemica confecta complectitur, et in pharmaciam proprie sic dictam, quae in medicamentis ad sui praeparationem nulla arte chemica indigentibus versatur. Discrimen medicamenti ab alimento et veneno, quomodo et quibus in casibus vtrumque posterius medicamenti vices gerere queat. Diuisio medicamentorum secundum naturae regna, ex quibus petuntur; postea in euacuantia atque alterantia; reliqua discrimina in aliis pariter scientiae compendiis notata. De historiae naturalis, eiusque partium, de chemiae et obseruationum ad stabiliendam materiam medicam vtilitate multa differit, eo certe aequus et nostra laude dignissimus auctor, quod non pro mora multorum medicorum requirit, vt iuuenis medicus, cui breuissimum plerumque tempus ad solidam doctrinam sibi comparandam praefixum est, omnem illarum scientiarum quaquauersum patentem campum emetiatur, omnia earum fata, systemata, sectas, omnes de iis meritos viros noscat, sed id tantummodo ex vnaquaque depromat, quod suo fini accommodatum

tum eſt. Merita recentioris chemiae de arte medendi; verae eius prae antiqua praerogatiuae, inquam ſolam, quae contra eius in medicina vſum dicta ſunt, quadrant; reliqua enim non probant niſi imperfectionem omnium ſcientiarum humanarum: Nimiae et nimis vniuerſales remediorum in ipſis medicorum illuſtrium ſcriptis, quantum damni intulerint arti medendi. De ratione, qua facultatem medicamentorum cognitam ſibi reddiderint homines. De arte medicamentaria apud Aegyptios et Graecos, apud Arabes, qui reliquis plura praeſtitiſſe perhibentur, apud Germanos, Gallos, Heluetos, Hiſpanos, et reliquae Europae magis ſeptentrionales incolas. Ab vſu venenorum medicos dehortatur Cl. Auctor in eo certe nimium timidus, tum quod euentus, niſi ſemper, tamen aliquando conceptae reſpondit ſpei, tum quod multi dantur morbi, conſuetis certiſſime et lenioribus remediis non domandi: De noxis polypharmaciae in progreſſum ſcientiae ipſius redundantibus. De actione medicamentorum generali. De forma, pondere medicamentorum, aggregatione particularum, caloris gradu, ſapore acri, pingui, ſtyptico, acido, amaro, viſcoſo, ſalſo, aquoſo, ſicco, nauſeoſo, odore camphorato, narcotico, aethereo, acido volatili, alcalino volatili, fragrante aromatico, alliaceo, foetido, vinoſo, nauſeoſo, quid ad efficaciam medicamentorum faciant, et quomodo ex iis determinari ratio efficaciae poſſit. Pondus tamen medicamentorum tantum conferre ad eorum efficacitatem, quantum quidem ſibi perſuadere videtur Cl. Auctor, multopere dubitamus. Quod aggregationem ſpectat, quinque ſtatus diſtinguit, durum aut ſolidum, mollem, liquidum, vaporis, atque aëreum, ita vt corpora ex altero in alterum tranſire poſſint: quomodo virtutis ſalutaris ratio atque

que intenſitas ab hoc ſtatu pendeat: De vſu aëris fixi multa ſibi pollicetur; multa medicamenta eo tantummodo adeo eſſe efficacia, quod facile in aërem reſoluantur. Exemplum puellae ſeptem annorum, quae balneo nimis calido immerſa poſt horam mortua eſt. Noxae, ex abuſu potuum calidorum promanantes, aliae alias inſequentes: Laboribus immortalis BOERHAAVII in tractandis neruorum morbis recentiorum opera parum acceſſiſſe. Veriſimile putat Auctor, in figura vltimarum particularum, ex quibus conſtant corpora, diſcrimen ſaporis poſitum eſſe: Omnem ſenſationem, quam alia corpora ſua praeſentia aut contactu cum quocunque organo corporis humani excitant, ad ſaporem refert, ſecundum quem medicamenta in quatuor diſpeſcit tribus, primae adſcribendo illa, quae non in guſtus tantum organon, ſed in omnem fibram viuam violenter agunt, ſiue cauſtica, alteri, quae non manifeſte in cutem agunt, in lingua tamen ſaporem excitant, tertiae, quae neque in cutem, neque in linguam ſenſibilem effectum edunt, ſed ventriculo recepta, in hoc valde manifeſte agunt (qualia v. g. plura antimonialia); quartae denique ea, quae, nequaquam alteratis ſenſuum organis, in ſolum nervorum ſyſtema ſenſibile agunt. Recenſus medicamentorum, ſecundum ſaporem diſpoſitorum, cum virtutibus vnicuique tribui competentibus. De odore tanquam fonte virtutis medicamentoſae. Spiritum rectorem mari acidae eſſe indolis, omnium ſtirpium phlogiſto imbutum, quod ex eius in aërem circumfuſum efficacia eluceſcit: Odorem narcoticum vel ſuaueolentiſſimis vegetabilibus eſſe admiſtum, et aufugato grato illo odore ſupereſſe. De actione chemica medicamentorum extrinſecus adplicitorum, ventriculo ingeſtorum, in vaſa iniectorum, exemplis illuſtrata. De partitione medica-

mentorum ſecundum indolem eorum chemicam. De actione medicamentorum generali, ratione habita partis, cui adplicantur, alia videlicet, ſi cuti, alia, ſi ſenſuum adplicantur organis, alia, ſi ventriculo, alia ſi per reſpirationis organon ingerantur, alia, ſi telae celluloſae, alia, ſi vaſis iniiciantur. Nullum aërem infeſtum penetrare in ipſos pulmones poſſe, ſed conſtringendo glottidis rimam ſibi ipſi introitum praecludere, niſi aëris atmoſphaerici partibus quatuor aut duodecim miſtus ſit. De ratione vires medicamentorum nouorum cognoſcendi; examinandae ſcilicet ſunt eorum dotes externae et chemicae, comparanda ſunt cum aliis, cum quibus in his dotibus conueniunt, inſtituenda ſumma cum circumſpectione in corpore humano ipſo periculo. De mediis, quibus materia medica perfici vlterius poteſt; opus eſt exacta omnium corporum medicinalium, ex hiſtoria naturali petita deſcriptione, ſuperſtructa ſanis principiis inueſtigatione chemica, et ſollicita medici effectus, quos in corpore humano exſerunt, obſeruantis, attentione, vt alterius medicamenti effectus ab efficacia alterius, medicamentorum actionem ab eo, quod vires naturae efficiunt, diſcernat, formam et modum exhibendi medicinam pro re nata variet, et ſi quidem medicamenti cuiusdam, ipſi nondum ex aſſe cogniti, vires explorare velit, id ſolum exhibeat.

Secundo volumine Auctor primo generalia therapiae praecepta et doctrinam de indicationibus dilucide ſatis exponit. Diſtributio medicamentorum, ſecundum eam, quam in corpus animale exercent, efficacitatem, primo in rationalia, i. e. ea, quorum modum agendi nouimus, et ſpecifica; haec iterum abeunt in ſpecifica partium et ſpecifica morborum. Sub prima igitur claſſe militant alterantia, et euacuantia; ſub priore tribu alterantia ſolidorum,

dorum, 1) relaxantia, 2) condenſantia, 3) ſtimulantia, 4) ſopientia; alterantia fluidorum 1) diluentia, 2) demulcentia, 3) abſorbentia. 4) depurantia, 5) incraſſantia, 6) attenuantia; alterantia ſolidorum et fluidorum ſimul 1) refrigerantia. 2) calefacientia. Poſteriori tribui accenſentur 1) emetica, 2) purgantia, 3) diaphoretica, 4) diuretica, 5) errhina, 6) ſialagoga, 7) expectorantia, 8) galactopoea, 9) ſpermatopoea, 10) emmenagoga, 11) ſanguinem euacuantia. Alterius claſſis priori tribui, quae ſpecifica partium complectitur, annumerantur 1) cephalica, 2) ophthalmica, 3) odontalgica, 4) otalgica, 5) becchica, 6) cordialia, 7) ſtomachica, 8) hepatica, 9) vterina; alteri autem tribui 1) antepileptica, 2) antapoplectica, 3) antiphlogiſtica, 4) febrifuga, 5) antiſeptica, 6) antipyica, 7) antiſpaſmodica, 8) antihyſterica, 9) alexipharmaca, 10) antiloimica, 11) antihydropica, 12) antihydrophoba, 13) antilactea (antilaiteux), 14) antidyſenterica, 15) antirhachitica, 16) antiſcrophuloſa, 17) anticancroſa, 18) antiarthritica, 19) antiſcorbutica, 20) antipſorica, 21) carminatiua, 22) lithonthriptica, 23) vulneraria. Tertiam denique claſſem conſtituunt remedia chirurgica 1) emollientia, 2) reſoluentia, 3) repercutientia, 4) diſcutientia, 5) maturantia, 6) digeſtiua, 7) ſuppurantia, 8) ſtyptica, 9) detergentia, 10) deſiccantia, 11) agglutinantia, 12) inflammantia.

Quae ſingulis ſuis claſſibus, ordinibus, tribubus, diuiſionibus adſcribuntur medicamenta, nunc amplius deſcribit, et breuiter diiudicat Auctor, ita tamen, vt plerumque potiora tantummodo deſignet, et paucis ſingularum diuiſionum virtutes, noxas atque vſum oſtendat: De malis, quae ſtimulantia illa acria naribus immiſſa cauſſantur; ſtimulantibus etiam annumerat roborantia et adſtringentia; qua quidem in re et a vulgato loquendi apud medi-

medicos vſu, et a ſua ipſius definitione diſcedere nobis videtur; duo enim haec poſteriora motum fibrae iuſto lentiorem et debiliorem emendant, ſed mediate, quod aliis etiam fieri medicamentis poteſt, quae nemo ſtimulantium tribui adſcripſerit, pro alia ſcilicet atque alia lentoris et debilitatis cauſſa; multa etiam videmus inter roborantia relata, quae aut inertia vel certe ſuperflua putamus, v. g. ſantalum citrinum, confectio de hyacintho, aut ad ſtimulantia, quae in neruos potius, quam in fibram carneam efficacia eſſe nobis perſuademus, v. g. Apices meliſſae, flores aurantiorum, dianthi etc. Fateri praeterea oportet, nos non perſpicere, quare ad eſſentiam horum remediorum fortem requirat odorem, et ea de cauſſa inodora quidem, verum efficaciſſima amara vegetabilia excludat. Sanambas corticem mere adſtringere, burſam paſtoris eadem virtute gaudere vix concedat, qui prioris in fluxibus alui egregias vires attento animo conſiderauerit, et poſteriorem nullum cum ferri ſolutionibus exhibere atramentum expertus fuerit. Cynogloſſo facultatem narcoticam abiudicat capta obſeruatio, et praeter binas lactucae ſpecies, alias ſtirpes lactescentes ex gente cichoracearum narcotica vi pollere, nobis quidem, ſi vera experimenta conſulimus, non conſtat; cur napellum ab aconito, quaſi aliam plantam, diſtinguat Auctor, nos latet; certe noſtra aetate ex vniuerſo aconiti genere ſolus napellus in officinis proſtat aut verus, aut putatitius: Similiter nos fugit, quare longum nobis exhibeat terreorum, acida abſorbentium catalogum, plurimorum ex animalibus petitorum, et optimum, quod vnquam, ſi talia indicantur, haberi poteſt, magneſiam albam puta, praetermittat, quae etiam non diluta, forma ſicca exhiberi absque periculo poteſt, neque vnquam parietibus ventriculi atque inteſtinorum adhaeret,

cit, neque ſubſequente laxante opus habet, neque, ſi quidem vſta rite fuerit, ea mala cauſſabitur, quae euolutus ex id genus corporibus aër fixus excitat. Borraginis et anchuſae folia, lumbricosque terreſtres depurantibus accenſeri, mirabuntur nobiscum lectores.

Tanquam potentius incidens commendat Auctor ſal ex connubio acidi ſalis communis cum terra calcarea aut magneſia alba natum; attenuantia enim in aperientia, incidentia et fundentia diſpeſcit. Inter emetica (potiora tamen modo recenſere ſecum conſtituerat Cl. Auctor) vitrum et hepar antimonii, mercurius vitae, mercurii vitriolum, quae tamen ſummopere violenta remedia a Medicis noſtri aeui, niſi cicurata, non propinari, ſperamus. Leniora emetica ipſis grauidis, natura nonnunquam ipſa indigitante, conducere poſſe; eorum, quae ex antimonio parantur, potentiam acidis vegetabilibus non acui. Quatuor laxantium aluum genera, virtutis intenſitate inter ſe diuerſa. Inter diaphoretica multa ſane obſoleta, ſuperflua, imo inertia. Expectorantia diſpeſcuntur optime in demulcentia, ſtimulantia atque incidentia: Cephalica non in caput ſolum, neque prae aliis partibus, ſed in omnia agere corporis humani et ſolida et fluida, rectiſſime monet Cl. Auctor; ab vſu arſenici et viridis aeris in cancro cordate dehortatur; quae experimenta eum mouerint, vt mercurium, quem vulgo appellant praecipitatum per ſe, valde acrem pronunciet, non videmus. Herbas, quas veteres in vulneribus ſanandis interne adhibuerunt, ea vi nequaquam carere: Calculos vrinarios alios ab aliis quam diuerſiſſimos eſſe.

X.

Rapſodien der philoſophiſchen Pharmakologie nebſt einer Anleitung zur theoretiſch-praktiſchen Chemie und einer Tabelle über die Experimental-Pharmacie von I. I. BINDHEIM. *Berlin bei Aug. Mylius.* 1785. 8. *S.* 212.

i. e.

Rhapſodiae pharmacologiae philoſophicae cum inſtitutione chemiae theoretico-practicae et tabula pharmaciae experimentalis.

Quamuis pharmacopoeis potius, quam medicis et phyſicis, deſtinatus ſit hicce libellus, in veritatibus antiquis inculcandis verſetur potius, quam in nouis inueniendis, noſtra cenſura tamen nequaquam indignum putamus; eo certe laudem ſibi meruit Auctor, quod pharmacopolas excitat, vt ipſi de vlteriore artis ſuae perfectione a primis diſciplinae incunabulis cogitent, neque, qui, proh dolor! plurimorum adhucdum mos eſt, ſeruiliter iis inhaereant, quae ab aliis aut docti aut iuſſi ſunt. Praemittit Auctor aliqua hiſtoriae pharmaciae fragmenta; in qua cur PLINII aeuum 216 annis Saluatoris noſtri in orbem aduentui anteponat, nos equidem ignoramus, niſi quis typographicus error irrepſerit, quod magis adhuc in nomine diui noſtri HIPPOCRATIS apparet, quem Gallorum ad inſtar HYPOCRATEM ſalutare mauult. Merita Germaniae de pharmacia; naeui et vitia pharmacopoliorum, quae enarrare omnia, non huius eſt loci; de ſanatione eorum: de officiis pharmacopoeorum, et de vulgari inſtitutione atque educatione, ſiue, vt vocant, diſciplina; de optimo pharmacopoeos educandi modo,

do, de curſu (*conditioniren*) pharmacopoeorum; de ſubſidiis ad formandum bonae frugis pharmacopoeum, inter quae praecipue exactiſſimum laborum, et quae in iis eueniunt, diarium, exemplis etiam illuſtratum, et lectionem bonorum librorum in artis commoda exaratorum ſuadet: exempla aliquot pharmacopoeorum, alterius animi dotibus, moribus, artis ſuae amore et amplificatione illuſtris, alterius oppoſitae plane indolis. Notae boni pharmacopolii, cum fragmentis conſiliorum in viſitandis iis commendandorum; ad examinanda ea nec modum vulgarem, neque aliquot tantummodo horas ſufficere. De optima forma menſae, in qua medicamenta a medico praeſcripta componuntur. De notis, quibus argentum viuum, mercurius dulcis, mercurius ſublimatus corroſiuus albus, mercurius praecipitatus ruber et albus, cinnabaris, ſulphur antimonii, antimonium diaphoreticum, magneſia alba, lac ſulphuris, ſal ſuccini, cryſtalli tartari, et quod ex iis paratur ſal eſſentiale, falia media, extracta, eſſentiae virides, ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus, aurum et argentum obducendis pilulis adhibitum, acetum, ſyrupus violarum, gummi guaiacum, olea aetherea, caſtoreum, moſchus, plantae variae, vtrum genuina ſint, an aliis atque aliis adulterata, dignoſci queat.

Sequuntur egregia de pedantismo pharmaceutico, eius cauſis et diagnoſi, de aurifica inſania, eiusque therapia, et prophylaxi monita, exemplis illuſtrata; literae pharmacopoei ad filium eiusdem tribus, quibus optima vitae inſtituendae praecepta tradit.

Altera ſectio compendium chemiae tradit; doctrinam de aqua et mediis illam explorandi, de aëre eiusque ſpeciebus, de ſalibus et terris, de phlo- p. 131.

phlogiſtis, de metallis, et poſt ſingula capita experimenta atque operationes, quae cum iis inſtitui poſſunt et debent, enarrat. Chartam fernambuci decocto tinctam in caeruleum, curcuma tinctam in rubrum colorem vergere vtique, colorem ſuum in hos poſteriores penitus commutare nequaquam vidimus; quum violarum ſyrupum ad detegenda alcalia longe ſenſibiliorem eſſe infuſo lacmus conſtet, bene praeparatum et ſollicite a fermentatione praemunitum neutiquam ex reagentium claſſe excludimus; ab eius vireſcentia ſola ad alcali concludere, non profecto prudentis eſt chemici. Vtique aëris nomen mereri omnia fluida pellucida, elaſtica, ſubtiliſſima et leuia, quae in frigore etiam maximo aëris formam conſeruant. Inter acida mineralia nullam eius, quod in lapide ponderoſo inuenere SCHEELIUS et BERGMAN, inter animalia nullam eius, quod in chryſalide bombycis mori, et bombyce ipſa superius detexit Cl. CHAUSSIER, ſiquidem propria generis ſit acidum, iniicit mentionem: Magneſiam ab omni alia terra liberam cum nitri et ſalis communis acidis vtique in cryſtallos coire non deliquescentes, D'ISJONVALII experimenta monſtrant: Terram gemmarum propriam dari valde pere dubitamus. Illuſtriſſ. Comitem A SICKINGEN platinam absque additamento liquaſſe, nos equidem latet; hepate ſulphuris non ſolui iſtud metallum obſeruauit MARKGRAF, et perparum modo Cl. LEWIS. Calx plumbi, quae mercatoribus noſtris *Bleyweiſs* audit, non eſt vlterior illius, quae *Schieferweiſs* dicitur, praeparatio, ſed potius adulteratio cum creta.

Accedit tandem definitio pharmaciae, et ſcientiarum adfinium, ac tabula, qua omnes operationes pharmaceuticae vno intuitu ſiſtuntur.

XL

XI.

Verſuch einer vollſtändigen Abhandlung über die ſcharfe mit kauſtiſchem Salze geſättigte Tinktur des Spieſsglaskönigs und ihrer groſsen Heilkräfte, nebſt der Art aus andern Metallen und Salzen ähnliche Tinkturen zu bereiten, von I. CHR. C. DEHNE. *Zwote verbeſſerte und viel vermehrte Auflage. Helmſtädt bey Kühne.* 1784. 8. *p.* 376.

i. e.

Tentamen completi tractatus de acri cauſtico ſale ſaturata reguli antimonii tinctura et inſignibus eius viribus, cum modo ex aliis metallis et ſalibus ſimiles tincturas parandi.

Prodit vtique hoc tentamen et aſſiduum artis chemicae exercitium et magnam Auctoris cum aliis aliarum etiam aetatum noſtro aeuo forſan nimium neglectis libris familiaritatem, et potiſſimum indefeſſum ſtudium, perfectiori atque faciliori eius tincturae fabricatione aliis etiam proficiendi: Quod multis aliis eius generis ſcriptoribus contigit, accidet fortaſſis noſtro quoque Auctori. Cui tot tantasque impendit operas, tincturae ipſum nimium tribuere, clamabunt multi.

In octo ſectiones diſpeſcit hunc librum Cl. Auctor. Prima ſectione indolem tincturae antimonii acris, et cauſam denominationis exponit; heic alia etiam apud Paracelſum eiusque coaeuos et adſeclas obuia nomina et variationes in modo parandi recenſet; ambigua valde lilii PARACELSI ſynonymia. p. 16.

Sectio ſecunda hiſtoriam eius tincturae, et modum, quo ab aliis a tribus retro ſeculis parata fuit, p. 23.

tradit, verbis eorum huic libro inſertis, et iudicio atque interpretatione ſaepius annexa, quae pleriſque certe lectoribus quam gratiſſima erit; ſi in praeparatione eius caſu quodam carbonum fruſtula in crucibulum cadant, tincturam inde ſemper fieri deteriorem, quamuis LUDOLFUS illud artificium praeſcribat, (poſſet tamen color tincturae eo artificio augeri, ſi nitro iam omnis acidi experte fruſtula vix antequam igne eximatur crucibulum, iniicerentur, ita vt calcem vix contingere, adeoque non in regulum reſtituere poſſint.)

p. 65. Sectione tertia Auctor numeroſiſſima eaque multiplici modo variata experimente ad parandam ſibi iſtam tincturam inſtituta magna cum cura commemorat: Quum ex praeſcripto pharmacopoeae Brandenburgicae parare eam vellet, neque acrem obtinuit, neque rubram: Digeſtionem non in vaſe aperto, ſed in cucurbita ſuperimpoſito alembico et adligato excipulo clauſa ſuſcepit; vt omne ingratum ab vnguinoſo euitaret, regulum cum nitro liquatum in conuum fuſorium creta intus affricata munitam effudit: Cauſſae, cur nitrum conficiendae huic tincturae potius conducat, quam alcali fixum, etiam cauſticum: Cautelae in liquanda maſſa et adfundendo vini ſpiritu obſeruandae; lacteſcentiam huius ſpiritus eo momento, quo maſſae adhuc feruidae adfunditur, non eſſe nuncium nequaquam fallacem bonae tincturae; melius eſſe, nitrum candenti iam in crucibulo regulo ſenſim ſuperingerere, quam ſtatim ab initio cum regulo miſtum in crucibulum iniicere, et vt primum noua eius portio immiſſa fuit, operculo contegere; ſpiritum vini ſemel rectificatum alcoholi praefert Cl. Auctor, eo quod ille plus ſoluat atque extrahat, quam hoc; alcohol tamen exhibere tincturam magis ſaturatam (haec ſibi contradicere nouis quidem videntur). Quod prima por-

portione ſpiritus vini non ſoluitur, alteri tingendae et ſua acrimonia perfundendae adhiberi adhuc poſſe: Diuturniori fluxu, quem tamen vel optimi venis ferriuginoſis nullibi variegati catilli vix vltra 4 horas ſuſtinent, et acriorem reddi magisque ſolubilem maſſam, et pulchrius coloratam tincturam, quoniam tum maior particularum ignearum copia ingrediatur. Nimiam nitri adiectam copiam non nocere, quod nitrum ſuperfluum adeoque non in alcali conuerſum, ſpiritu vini non ſoluatur, aut ſi in ſemel rectificatum tranſierit, refrigerio ſponte delabatur, nihil ergo eius in tincturam ingredi poſſit: Nihil intereſſe, ſiue depuratum ſit nitrum, ſiue non, niſi nimis impurum ſit; etſi regulus iam quinque partes nitri, quae parandae pro tinctura maſſae ſufficiunt, abſorpſerit, et quinta pars iam multo lenius efferbuerit, quam priores, ſextam tamen iectam ab arroſo crucibulo non raro denuo ebullire: A ſeceſſu aëris fixi, atque ingreſſu phlogiſti (quod Cl. Auctor ſaepius cum materia ignis pura confundere videtur) cauſticum fieri alcali.

Sectio quarta agit de partibus tincturam conſtituentibus tum ex aliorum, tum ex propria ſententia: Neque in fluido, neque in ſpiſſiori tincturae ſedimento, modo per chartam griſeam traiecta fuerit, regulini aliquid latere; quod colorem violarum in viridem conuertat tinctura, non probare adhuc, quod ſit alcalina. Ab adfuſis acidis mineralibus atque aceto et incaleſcebat tinctura et fumabat, et, a prioribus quidem, in maſſam offae Helmontii aemulam coibat; nullus exhalabat, dum haec adfundebantur, ſulphuris odor, neque aut metallum aut ſulphur fundum petebat. Quod autem in fundum praecipitabatur, non erat niſi ſal medius ex adfuſo acido et alcali cauſtico natus; acidum nitri et ſalis communis, licet per ſe non fumantia, p. 103.

ſi charta, iis humectata, vitro hanc tincturam re-
center tenenti imponebatur, fumabant; aliquid
eiusmodi monſtrabat etiam acetum, quod olim
ſpiritum aeruginis appellabant; hoc etiam phaeno-
menon a phlogiſto (alcohole vini) ex tinctura per-
petuo exhalante deducit Cl. Auctor; acido nitri mul-
tum inhaerere phlogiſti (vulgari vtique, non tamen
ad eſſentiam acidi pertinet); vapor aquae vulgaris
et deſtillatae, lixiuii alcalini, aquae calcis acidis ex-
ceptus viſibilis ſimiliter factus eſt, nequaquam ta-
men vapor ſpiritus vini, oleorum aethereorum et
naphthae: Vetuſta et negligenter aſſeruata tinctu-
ra cum acidis efferueſcit. Id etiam, quod ſpiritus
per deſtillationem abſtracto de tinctura remanet
ſiccum noſocomiis bellicis campeſtribus egregie
commendat Cl. Auctor, non tamen nimis exſiccan-
dum, nec negligenter aſſeruandum eſſe; deſtilla-
tione tam diu continuata, donec reſiduum penitus
ſiccum et ex nigro cinereum eſſet, ſal remanſit
ſummopere cauſticum, et cum aqua forti non effer-
veſcens quidem, verum vehementer incaleſcens
ac fumans, vini ſpiritum non amplius rutilo illo
colore tingens; ab oleo eius per cauſticum alcali ex-
tracto et quaſi aduſto proficiſci eum tinctum; hinc
nec ſpiritum oleo ſuo e. g. abſtrahendo de magna
alcali copia orbatum, nec alcali non cauſticum un-
quam exhibere bonam tincturam: Ex tinctura cum
ſapone alicantico commiſta aceto inſtillato dulce
aliquid ſaccharinum impetrauit Cl. Auctor et in oleo
ſupernatante, et in reliquo liquore; cauſticum ſa-
lem principem eſſe tincturae partem, eumque cum
oleoſa ſpiritus vini parte in ſpeciem ſaponis coire,
qui et tincturae colorem, et ſali maiorem ſolubili-
tatis gradum largiatur; metalli ipſius aut ſulphuris
ne hilum quidem in eſſe.

Sectio

Sectio quinta enarrat tentamina Cl. Auctoris eandem tincturam cum aliis aut salibus aut metallis conficiendi: Quid alii iam fecerint; Quo maius metalli sit specificum pondus, eo magis causticum fieri, quod cumeo in igne tractatur, alcali; nimis laxe adhaerere calci in regulo antimonii. Eo ipso, quod alcali siue cum calce siue cum metallis fusum igneas particulas sibi adsciscens acrius sit, eluceſcit, non in salem neutrum abire, qui mitior esse debebat, quam alcali, ex quo gignitur, non ergo acidum ex igne imbibere. Tinctura similis cum plumbo parata, partibus constituentibus aeque ac reliquis attributis cum tinctura antimonii acri penitus conueniens: Nitrum fixum et alcali vegetabile etiam post iteratam et diuturnam in igne liquationem nunquam saturatam eam et adeo acrem exhibere cum spiritu vini tincturam, quam nitrum cum metallo fusum suppeditat. p. 188.

Sexta sectione ruborem suae tincturae explicare conatur Cl. Auctor ex phlogisto, et aliorum etiam asserta in suam sententiam trahit. p. 248.

Septima sectione vires suae tincturae, morbos, in quibus prodest, ex aliorum et propria experientia enumerat, et casibus sedecim longius enarratis confirmat. Vbi laesio in oesophago, ventriculo, intestinis adest, vbi partes istae muco suo denudatae sunt, aut huius ipsius medicamenti diuturno vsu denudantur, vbi putrida acrimonia humores obsidet, eius vsum nocere: Egregie resoluere, et vrinam pellere, in hypochondria, cachexia, cacochymia, atrophia, arthritide et affinibus ei rheumatismis, erysipelate, febribus quartanis, hydrope, oedematibus, acido debellando, asthmate pituitoso, doloribus vrethrae in gonorrhoicis, mira praestare, paucis eius guttis cum multa aqua sumtis; lue, praesertim scabie, ozaena, aliisque vlceribus et symptomatis venereis laborantibus multum p. 275.

tum leuaminis ea tinctura attulit Cl. Auctor. Paparum tincturae acris antimonii colorem tincturae ex floribus papaueris rhoeados extracti in violaceum, maiorem illius copiam inſtillatam in viridem conuertere colorem.

p. 365. Octaua denique ſectio acrem antimonii tincturam cum cauſtica B. MEYERI comparat.

Numeroſarum, quae ſalutarem meloës proſerabaei in ſananda rabie canina efficaciam oſtendunt, obſeruationum cum orbe litterato communicandarum ſpem gratiſſimam nobis facit Cl. Auctor.

XII.

Betrachtungen über die Gährung und die dadurch erhaltenen Producte und Educte, von G. F. I. *v.* P*. *Halle.* 1784. *bei Hendel.* 8. *p.* 88.

i. e.

Conſideratio fermentationis, et eorum, quae per eam obtinentur, productorum atque eductorum.

In eo potiſſimum verſatur Auctor, vt doctrinam de fermentatione a Cl. WIEGLEB nuperius ſtabilitam impugnet, et dubiis, quae hic contra acidum ſacchari tanquam natura ſua ſuccis dulcibus inhaerens mouit, reſpondeat, quod quidem negotii et modeſte et maſcule agit.

In corporibus fermentationi opportunis chemica analyſi non reperiri niſi aëreum acidum, phlogiſton, acidum, tum terram, alcali volatile et fixum; haec ergo remotas eſſe partes conſtituentes corporum, in fermentationem pronorum, et tria quidem priora neceſſario requiri; in omni fermentatione ſegregata corporum ſimplicia principia in ſe inuicem diſſolui; conditiones, quas fermentatio, vt fiat, poſcit;

poſcit; phaenomena fermentationis; media, quibus arceri, et quo minus progrediatur impediri poteſt; ſaccharum eapropter in fermentationem vinoſam et acetoſam procliue eſſe, quoniam principia ad eam mutationem neceſſaria maiore longe copia contineat, quam quidem alia, v. g. plurima animalia, quae dominante et tanta copia partes ad putredinem neceſſarias continent, vt citiſſime in putredinem ruant, antequam priores fermentationis gradus animaduertantur. Nullum dari argumentum, quod vini ſpiritum ante fermentationem corporibus iam ineſſe demonſtret; ſaccharum quocunque modo tractatum ne guttulam quidem eius exhibere; extricari et ſiſti tamen ſenſibus materias longe ſubtiliores, aëris v. c. varias ſpecies, artificiis chemicis poſſe; in fructibus vini ſpiritum olentibus fermentationem iſtam iam inchoaſſe; eſſe vini ſpiritum ex aliis materiebus conflatum, in has igitur diuidi, ex his iterum componi poſſe; habere in ſe phlogiſton, aquam et ſacchari acidum, poſterius toties iam in dulcificato, quem vocant, nitri ſpiritu, ſi praeſertim alcohol, quod adhibetur, ex ſpiritu a vinaceis abſtracto natum ſit, conſpectum; haerere autem tantopere inuolutum phlogiſto, vt, quamuis magna ſatis copia adſit, guſtui tamen ſeſe non manifeſtet; non comparere, ſi alcohol, quod cum nitri acido commiſcetur, a tartari ſale deſtillando abſtractum fuerit, et cauſtico ſale tandem penitus ex vini ſpiritu abſtrahi poſſe; alcohol, dum ardet, neque fumum, neque fuliginem eructare, neque carbonem relinquere, non ergo continere poſſe oleum, quod alias, etſi tenerrimum ſit, illa eructet, hunc relinquat, neque magnam eius inflammabilitatem indubium olei inhaerentis eſſe indicium; phoſphorum et alia ardere, licet nihil olei contineant; aetherem fumo et fuligine, quam, dum comburi-

tur, emittit, nitroſum etiam carbone, quem relinquit, ab alcohole vini toto coelo differre, non ergo eſſe oleum ex hoc ſeparatum, neque cum aqua denuo commiſtum alcohol vnquam efficere; tanta etiam copia nonnunquam obtineri, vt ſuperet copiam adhibiti alcoholis; absque acidis impetrari non poſſe, et ſingula acida ſuum in aethere conſeruare proprium characterem; ſi diſcrimen illud aetheris a nonnullis tantummodo acidi particulis penderet, his ſegregatis aetherem cum aqua in alcohol redire debere, ſi vera ſint, quae Cl. WIEGLEB propoſuit; aetheris ab oleis aethereis differentiam in alia partium conſtituentium, phlogiſti praeſertim, proportione ſitam eſſe, praeter quod partes aqueas et acidum fortiſſimum contineat; acidi partem, quae mixtionem aetheris non ingreditur, cum reliqua ſpiritus vini aqua in acidum debilius et phlogiſto onuſtum coire, et cum parte certe acidi ſaccharini, in vini ſpiritu latentis, coniungi, cuius altera forſan pars ad aetherem accedat; nitroſi, et ipſius vitriolici aetheris praeparationem id luculentiſſime monſtrare; acidum ſacchari in alcohole haerens et nimia aqua dilutum, et iuſto parciori copia adeſſe, quam vt aetherem efficere queat: Ad gignendum aërem inflammabilem acido ſemper opus eſſe: Acidi nitroſi magnam partem in parando aethere hunc ipſum ingredi, aliam forma aëris inflammabilis auolare; mirum igitur non eſſe, Clar. WIEGLEB in illo labore magnam acidi nitroſi iacturam feciſſe; Quod ex drachmis duabus cum dimidia reſidui gummi externo habitu mentientis affuſo nitri acido acidi ſaccharini drachmas tres obtinuerit, ab aqua, qua illo ſale ad cryſtallorum formam opus eſt, vnice prouenire; phlogiſton expulſum nullam vel perexiguam ponderis iacturam facere: Phaenomena diuturni illius laboris, ex quibus Clar. WIEGLEB

LEB acidum ſacchari non eſſe, niſi nitri acidum phlogiſticis ſpiritus vini partibus modificatum, ſtatuerit, longe facilius alio modo explicari poſſe; magnam naphthae copiam inflammabilis aëris ſpecie aufugiſſe, et quum nihil amplius ſupereſſet alcoholis, cum quo nitri acidum recens in naphtam abire potuiſſet, non potuiſſe non naphtham iam generatam eo acido deſtrui, et acidum ipſum in phlogiſticatum nitri acidum, aut in aërem nitroſum commutari; reſidua igitur continuiſſe debilius nitri acidum cum acido ſacchari, quod recenti nitri acido denuo adfuſo phlogiſto ſuo denudatum, cryſtallorum forma comparebat: Fixam acidi ſaccharini indolem nequaquam pro nitri acido, tanquam parte eius conſtituente militare, quae ſatis volatica, magis adhuc, ſi phlogiſto inquinetur, ſit; cryſtallorum figuram ſimilem debile pro indole et origine ſimili eſſe argumentum; inaequalis, quae ex vini ſpiritu impetretur, acidi ſaccharini copiae cauſſam et in ſpiritu ipſo ſibi non ſemper ſimili, et in modo, quo acidum illud extricatur, deliteſcere: Deſtillatione ſpiritus vini in apparatu pneumatico nullum prodire acidum aëreum, ſalem etiam cauſticum ab eo infuſo nequaquam miteſcere; quod vinum adhuc aëris fixi contineat, in deſtillatione ſpiritum ipſum praecedere; aërem fixum remotam tantummodo et inuolutam eſſe ſpiritus vini partem, quippe in acido ſacchari inuentum; deflagrando demum aëris formam induere: Ex eo, quod arte ex phlogiſto, aqua, et ſacchari acido conflari non poſſit ſpiritus vini, neutiquam ſequi, quod natura in fermentatione ipſa non ex his componatur; ex eo, quod alcalia plantis, antequam ignis in eas agat, inhaereant, non debere idem concludi de ſpiritu vini, qui manifeſte ſit compoſitus, et in ſuas dirimi partes poſſit. Aërem

fixum, fermentatione extricatum, elaſticum ſuum ſtatum caloris materiae debere, quae etiam, dum per acida expellitur, licet magis tecte, agat; nunquam talem, qualis exit, corporibus inhaerere; Acetum non eſſe niſi acidam vini partem nunc denudatam, et probabiliter ſacchari acidum partibus mucoſis et phlogiſto aliter modificatum, quod Auctor ex recentioribus Cl. HERMSTAEDTII experimentis acidum ſacchari ſpectantibus oſtendit. Cauſam fermentationis in attractione diuerſorum, quae corpora conſtituunt, principiorum ſimplicium, et proportione eorum, et mutua huius attractionis actione ponit; vt primum aequilibrium huius attractionis tollitur, noua naſcitur aliarum particularum ad alias ratio, nouae attractiones, nouae igitur compoſitiones, ſolutiones, ſeparationes: Princeps cauſa, quae aequilibrium tollit, eſt calor, gignendo (ex aëre dephlogiſticato et phlogiſto generari, dubitat Auctor) aëri fixo neceſſarius, quo expulſo reliquarum etiam partium inter ſe vincula laxantur, mixtio mutatur, et nouarum attractionum vi phlogiſton cum aqua et acidi ſaccharini portione in ſpiritum ardentem coit, qui ſi partibus ſaccharinis et mucoſis, nondum penitus decompoſitis, vnitus remaneat et partem eliſi aëris fixi denuo imbibat, vinum conſtituit, in quod ſi calor et aër agere pergant, omni aëre fixo et vini ſpiritu abacto liberum nunc prodit acidum, ſiue aeetum; adfuſum deteriori vino vini ſpiritum eapropter melius reddere acidum, quod vappeſcentiae obſtet: Quid aqua, calor, aër in fermentatione ac putredine agant: Prouti ſaccharum in plantis ad fermentationem vinoſam et acetoſam, ita gelatinam in animalibus ad putredinem facere, qua phlogiſton praeſertim extricatur; vnde aër, in quo corpora putreſcant, ex phlogiſticato, inflammabili et fixo compoſitus ſit.

XIII.

XIII.

Lettere eſtemporanee ſopra alcune curioſità fiſiologiche.

i. e.

Diſſertationes epiſtolares de memorabilibus quibusdam corporis animalis phaenomenis. Vol. I. MDCCLXXXII — LXXXIV. (Deſideratur loci, quo impreſſum eſt opus, et bibliopolae nomen. Paginae ſingulae cuiusque epiſtolae ſeorſim numeris ſuis inſcriptae ſunt.) Vol. II. MDCCLXXXIV. pag. 320.

Auctor libri eſt Cl. ROSA, Profeſſor Mutinenſis.

I. Epiſtola Ima ad IOS. GARAMPI ſedis Apoſto- p. 3-18.
licae in imperiali curia legatum. Agitur de arteriarum plenitudine, quam negat Auctor, ſententiam veterum pneumaticorum amplexus, qui ſpiritum cum ſanguine pauco per arterias diſtribui ſtatuebant. Argumento autem vtitur, arteriarum in nuper mortuis animalibus vacuitate, venarumque parum aucta poſt mortem capacitate, quae ſcilicet tanta non ſit, vt ſanguinem omnem arteriis nuper plenis elapſum recipere potuerit. Spiritum vero, qui repleat arteriarum inanitatem, facili experimento manifeſtari poſſe confidit; arteriae nempe vtrinque ligatae et ex animali viuo reſectae ſub antlia pneumatica dilatatione. Addit porro, duplicem eſſe huius ſpiritus materiem, alteram ex aëre pulmonis exilitatem ſubintrante haustam, cui *vaporis animalis expanſilis* nomen fecit; alteram, ſubtiliſſimum ſanguinis halitum, quam *veram materiem animalem* (*materia animalizzata*) vocat. Eundem

dem ſpiritum, vitae et caloris principium omnisque ſecretionis aliorumque negotiorum, quae in animali viuo geruntur, miniſtrum et effectorem eſſe ſtatuit.

p. 1-40. II. Epiſtola ad NICOLAUM PECCI, Imperatoris conſiliarium intimum: Arteriarum in cadauere anguſtiam et inanitatem opinioni ſuae fidem facere contendit. Sanguinem enim, niſi forte in cordis vicinia, in arteriis haud deprehendi, neque iſtas, eam quam in viuo corpore habuerant amplitudinem, niſi in ſideratis vel deliquio animi oppreſſis, conſeruare. Praeterea, cum auctore ipſo HALLERO quarta tantum ſanguinis totius pars arteriis contineatur, fieri non poſſe, quin poſt mortem inanes maneant. Nullum humorem tanto cum impetu ex arteriis inciſis viuorum animalium prorumpere, quanto ſanguis effluere ſoleat; neque huius rei rationem perſpicue poſſe intelligi, niſi vaporem expanſilem vaſis illis ineſſe credas, quo quidem admiſſo, frigoris ſimul, odorum, terroris ſubtilium venenorum, ſanguinisque retropreſſi effecta pateant. Sanguis ex viui animalis arteria in antliae pneumaticae campanam intromiſſus confeſtim in ſpumam ſubtilem mirumque in modum mobilem conuertitur. In veſicam vacuam immiſſus ſanguis ex bouis arteria carotide, illam magno cum ſtrepitu explebat, motumque ciebat ſingularem ab humoris feruentis aeſtu plane diuerſum: ipſa veſica, ſanguinis aliqua parte euacuata, conſtricto fune obturata in aqua feruida denuo intumeſcebat. His experimentis Auctor haud exiguam vim, ad id, quod vult, demonſtrandum ineſſe confidit. Arteriam ligatam ſub filo etiam pulſare, Galenumque haud feliciter ligatae arteriae immobilitate contra Eraſiſtrateos pugnaſſe exiſtimat; qua quidem in re non modo in omnium obſeruatorum fidem iniquus eſſe, verum etiam occupato

pato praeiudiciis animo ad experimenta propria acceſſiſſe nobis videtur. Venas ideo non pulſare autumat, quod arteriae, antequam cum illis committantur, vaporem expanſilem iamiam dimiſerint.

III. Epiſtola ad ANTONIUM GREPPI, Imperatoris conſiliarium, Ord. St. Stephani Equ. p. 1-120.

Pulſus, quem *vacuum* dicere ſolent medici, arterias viuas ſanguine non ſemper plenas eſſe oſtendit; plenae ſi eſſent, Noſter plethorae verae et apparenti, continuae et tranſitoriae locum nullum fore exiſtimat. Addit, ipſum ſanguinis circuitum, plenis arteriis, cogitari haud poſſe. Haemorrhagias nonnunquam, quadragenis etiam ſanguinis libris amiſſis, toleratas fuiſſe, vita ſuperſtite; plus etiam ſanguinis per artem in vaſa ſubmitti poſſe, quam illa natura ſua contineant. —

Adiecta eſt huic epiſtolae experimentorum XCIII ab auctore captorum expoſitio. p. 30-120.

IV. Epiſtola ad Marchionem GERARDUM RANGONE. pagg. 168.

Quod ſanguis ex arteria viui animalis prorumpens in aëre ſeſe expandat, vapori animali tribuendum eſſe cenſet: quod autem nulli alii humori hoc accidere contendat, in eo profecto nimius eſſe nobis videtur. Sanguinem aërem, cui exponitur, non abſorbere — ipſum tamen vaporem animalem aerem dephlogiſticatum eſſe reſpiratione hauſtum ſanguinique admiſtum, cuius etiam feceſſu ſanguinem coagulari oporteat. Lienem eo conſilio datum eſſe animalibus, vt hepati ſanguis arterioſus ſuppetat. Per membranas vaſorum ſerum tranſſudare haud poſſe. Vaporem ex ſanguine adhue calente ſurgentem, acerrimum eſſe, naresque vehementer rodere; illo abacto ſanguinem congrumari. Aërem

rem cum animali materie iunctum vaporis animalis ſpeciem induere et ex elaſtico in expanſilem converti: poſitam in eo eſſe reſpirationis identidem iterandae neceſſitatem, cui niſi ſatisfiat, ſanguinem in ipſis ſuis vaſis coagulari. In calidi ſanguinis animalibus, in ipſis etiam frigidis, quibus ſimplex cor datum eſt, ſanguinem dextri lateris, ab eo, qui ad ſiniſtrum cordis latus appulit, ſemper haud parum colore pariter ac calore differre, non aliam ob rationem, quam ob vaporis animalis in ſanguine ad cor accedente inopiam, et factam in illo, qui recedit a corde, reſtitutionem. Sanguinis eam partem, quae, coagulatione perfecta, fluida manet, vel maximo calori expoſitam plane non coagulari, tarde admodum, aqua feruente temperatam; caeterum glutinoſam naturam in illo humore deſiderari. Cruorem lymphamque et ſerum in ſanguine ſolius vaporis animalis beneficio coniuncta inuicem eſſe atque mixta; ſubtracto illo vapore, partes illas a mutuo nexu diſcedere. Calce viua in aquam coniecta, piſces necari; cum illa nempe ad ſe rapiat aërem alendae piſcium vitae neceſſarium. Quatuor modos eſſe nexus vaporis illius cum ſanguine, aliquam eius partem ſanguini penitus inhaerere, alteram interpoſitam tantum eſſe, tertiam in venis ſaturationem quaſi ſanguinis efficere; quartam denique in arteriis abundare. In defectu vaporis animalis cauſam et rationem eſſe poſitam mortis in corrupto aëre praecipitis, viriumque oppreſſarum et ſanguinis diſſoluti in morbis malignis. Animalia calido ſanguine praedita, calorem aquae feruentis aeſtu maiorem tolerare ideo, quod phlogiſton attrahant, illoque aeſtum temperent: cum contra frigidi ſanguinis animalia, gelu glaciale ferant, excuſſo protracta fame phlogiſto. Tandem in ipſo gelatinae animalis tremore, partiumque variarum

rum animalium ſubſultibus et intumeſcentia, vaporis ſui expanſilis argumentum eſſe opinatur. In peripneumonico pulſum ſeſe obſeruaſſe narrat, qui medici tangentis manum ita feriebat, vt aëre arteriae ineſſe videretur.

Adiecta eſt enarratio experimentorum (XCIV-CXXVIII) in viuis animalibus captorum, de quibus, ne prolixitate nimia taedium excitemus lectoribus, hoc quidem loco exponere nolumus. p. 107.

V. Epiſtola ad Comitem CARLI. pagg. 320.

Quod ſemina terrae commiſſa germinent, illud non vi quadam mechanica, ſed vitalis principii quaqua verſus ſeſe expandentis impulſu effici Cl. Auctor contendit. p. 11.

In metallis ſolo igne in calcem verſis iterumque metallicam naturam induentibus aetheris virtutem quam maxime conſpicuam eſſe; eundem etiam aëre, ſalibus, meteoris igneis et aquoſis, omni denique materia, quibus agri ſtercorari ſolent, contineri. Dura amygdalarum aliorumque hoc genus fructuum putamina, non aliam ob cauſam intus laeui eſſe ſuperficie, niſi ob continuam preſſionem vaporis expanſilis, cauum corticem replentis. p. 19.

In farinae mucilagine vaporem iſtum aethereum plantarum ſucco nutritio admiſceri; perfici autem vtriusque partis coniunctionem in lactis ſanguinisque lympha coagulabili. Auium pennas, quadrupedumque cornua, dentes et pilos tanta tamque velocia incrementa vix capturos eſſe, niſi humor elaſticus mobilisque in illis continuo turgeret.

Marinorum animalium miram ſtupendamque foecunditatem aetherei aëris halitui, cuius ingentem copiam ex aqua hauriant, tribuendam eſſe. p. 31.

Numeroſos medullae ſpinalis neruos naturam non eo conſilio frigidis animalibus dediſſe, vt ſenſus, ſed potius, vt motus facultas in corpore latius pateret. Vi-

tale

tale principium non animalibus tantum plantisque ineſſe, verum communem quaſi illius penum terram aëremque et aquam eſſe, atque ex his in corpora organica vitam omnem dimanare. Sanguinem autem in animalibus principii vitalis vehiculum eſſe, eoque ſenſu a ſacris ſcriptoribus animae
p. 67. domicilium in ſanguine poni. Hinc fieri, quod animalia nullius praeter ſanguinem humoris iacturam aegrius ferant. (Magis tamen laedi nobis videntur ab aliorum humorum ſecretorum, ſeminis praeſertim, parua etiam copia factis, profuſionibus.) In nigro ſanguinis colore deminuti principii vitalis argumentum eſſe. Vitam phyſicam principii vitalis per ſanguinem in corporis inſtrumenta actione ſuſtineri, hac vero ceſſante illam quoque exſtingui.

p. 98. Experimenta porro profert auctor, quae ſibi perſuaſerint, vitam neruis vaſisque iugularibus ligatis non deleri continuo, dummodo ſpiritum du-
p. 114. cendi facultas ſuperſit. Primae reſpirationis in animali nuper nato neceſſitatem non a ſuctionis consuetudine, quod HALLERO placuit, verum a vitalis principii penuria, quam ſupplere ingrato ſenſu cogitur animal, proficiſci. Partum ipſum ab eodem cauſa promoueri, ipſiusque fetus viribus magis, quam alienis, abſolui. In ſuffocatis animalibus non vitam, ſed viuendi tantum potentiam (vitalità) ſupereſſe. Sanguinem in ipſis vaſis noxio vaporum halitus electricitatis et variorum venenorum efficacia cogularí. Fibram ſanguinis lympham eſſe cum aethere
p. 142. ſ. principio expanſili intime iunctam, partemque efficere animalis nobiliſſimam (*la parte più animalizzata*). Plantas et inſecta, quae in aëre homini noxio viuunt, ex illo eodem modo, quo piſces ex aqua, dephlogiſticatum aërem attrahere. Eandem eſſe vbique in omnibus corporibus viuis et organi-

ganicis principii vitalis naturam; modos tantum ob organorum varietatem diuersos.

Cl. MOSCATIUS in libro quodam nuper edito *) contra nonnulla Cl. ROSAE placita insurrexerat. Quem vt refutaret, suamque opinionem aduersus illius dubia tueretur, noster in reliqua huius epistolae parte vehementer laborauit, neque semper continere se potuit, quin aduersarium paullo acerbius, quam doctos viros decet, prosequeretur. Miratur inprimis, MOSCATIUM, cum ab initio sanguinem venosum ab arterioso differre negauerit, nihilosecius coloris, ponderis, calorisque diuersitatem in vtroque sanguine agnouisse. Negat porro, bilem, lac et vrinam in spatio aëre vacuo spumescere, nisi adhuc caleant. Sanguinem sine vapore animali humorem aequabilem et *vniformem* haud fore addit. p. 177. Densitatem arteriarum non permittere sanguinis p. 213. serique per illarum latera transsudationem. Hinc aquosi humoris in magnis corporis caueis collecti parvam tantum in cadaueribus inueniri copiam, quae quippe, si plurimum humoris sit, quatuor libras non excedat. Neque vero humorem istum per vasorum poros exprimi, sed tribuendum potius esse sangui-

*) Offervazioni ed esperienze sul sangue fluido e rappreso, sopra l'azione delle arterie; e su' liquori, che bollono poco riscaldati nella macchina pneumatica, del Prof. P. MOSCATI. Milano 1783. 8. 132 pag. Non defuerunt etiam alii, iidemque acutissimi viri, qui Cl. ROSAE placitis offenderentur, eaque masculе impugnarent. Eminent inter hos, Cl. LANDRIANI, epistola breui nouam illam, seu potius restauratam et exornatam Erasistrati opinionem aggressus; et Cl. CARMINATI Professor Ticinensis, qui promulgato libello, cui titulus est; *Risultati di sperienze e offervazioni su' vasi sanguigni e sul sangue.* Paviae 1784 4. (vid. c. n. Vol. hui. p. 489.) fidem experimentorum a Cl. ROSA factorum vehementer infregit.

ſanguinis ad relaxata vaſa appulſui. Arterias ſua contractione inaniri, easdemque ſanguinis motum non magis, quam fluminum alueos aquas, conci-
p. 253. tare et impellere. Idem illud principium, quod omnis motus vitaeque in corpore cauſa ſit, exhalatione ſua, muſculorum diſſectorum cordumque ex animalibus euulſorum tremores, vteri grauidi poſt mortem contractiones indeque contingentes mortua matre partus, digeſtionem denique in nuper vita defunctorum inteſtinis efficere, neque ab ipſa partium vita et efficacia, verum potius a vitalis vaporis adhucdum ſuperſtitis emanatione, motus illos omnes pendere.

Taedioſum foret, Auctorem per ſingula ſequi, omnesque illius cum MOSCATIO rixas, et argumenta ſubtilia vndique corraſa, quibus dimicat, exponere, praeſertim cum MOSCATII liber ad manus non ſit, quem comparare cum Noſtri placitis
p. 305. neceſſum foret. Perorata tandem ſua cauſa, tantum abeſſe addit, vt MOSCATII dubiis ſua de *principio animali expanſili* opinio labefactetur, vt potius illis ipſis ſtabiliatur magis et confirmetur, ſperandumque eſſe, vt ſententia iſta, ſi eodem modo dubitare pergat aduerſarius, omnium eruditorum ſuffragia ferat. Quod quidem nos, vti non admodum pertimeſcimus, ita nec ſperamus; fateamur enim neceſſe eſt, vehementer nos dubitare de omni contentionis iſtius vtilitate; nec videre nos, quid faciat magnopere ad naturam vitae animalis explicandam, vtrum illius cauſa in vapore animali expanſili, an vero, in illo, quod alii crepuerunt, fluido nerueo, an denique in alia quacunque materie collocetur. Scilicet haec omnia *rationem et modum* haud explicant, *quo fiat*, vt illud, quodcunque velis, principium, motum omnem ſenſumque efficere poſſit. Vim quandam eſſe, quae corpus

pus viuum impellat, vſus quotidianus docet; experimenta in viuis mortuisque animalibus capta, phaenomena et conditiones ſenſus motusque patefaciunt: hoc vnum neque declarant, neque, vt putamus, declarare vnquam poterunt, quid *in ſe ipſa* ſit vis illa, quaque in materie reſideat. Bene itaque profecto cum medicis naturaeque ſcrutatoribus ageretur, ſi hoc obtinere à ſe poſſent, vt tandem otioſam illam quaeſtionem derelinquerent, et naturae veſtigia premere, quam vltra illam ſapere, mallent.

XIV.

Noua phyſico-medica.

In conſeſſu Academiae regiae ſcientiarum *Pariſinae* publice habito die 12 Nou. 1785. haec geſta ſunt.

Academia praemium 1080 librarum Gallic., decernendum feſto Paſch. 1784., ei propoſuerat, qui optime reſpondiſſet huic quaeſtioni: quibus modis ſummum perfectionis gradum attingere poſſit tota molendinarum aquae ope actarum machinatio, inprimis interiores ipſarum partes etc. etc. (*de perfectionner la conſtruction des Moulins à eau, ſur-tout de leurs parties intérieures, etc. etc.*) Sed cum tractatuum hoc de argumento ſcriptorum nullus academiae ſatisfeciſſet; quamuis nonnulli ipſi admodum adriderent; eandem quaeſtionem denuo propoſuit, vt anno 1785 praemium illud decerneret. Iam admodum gaudet, non fruſtra dilatam fuiſſe praemii diſtributionem. Etenim qui, cum primum quaeſtio illa propoſita fuiſſet, eum libellum miſerat, qui admodum academiae probaretur, notatum his verbis: *Scilicet vt poſſem* etc.: idem li-

belli iſtius tale ſupplementum cum academia communicauit, vt praemium promiſſum tulerit. Eſt autem DRANSY, vir mechanices peritiſſimus.

Praeterea academia laudandum cenſuit alium libellum de eodem argumento ſcriptum, notatum que hac voce: *Machinarum ſtructori tam theoria quam vſu opus eſt.*

Deinde de praemio in hunc conſeſſum dilato et dicato optimae ſolutioni quaeſtionis, quae naturam et cauſas morborum, quibus conflictantur opifices pileorum, concernit *), actum eſt.

Iam qui ſcriptiones antea cum academia communicauerant, ſupplementa miſerunt, in quibus inprimis placuit his verbis notatum: *l'amour des hommes derivé de l'amour de ſoi eſt le principe de la juſtice humaine.* In eius auctorem, HENRICUM ALBERTUM GOSSE, Geneuenſem, chemices ſcientia clarum, praemium collatum eſt. Idem anno 1783 praemium tulerat, cum quaeſtionem, quae cauſae ſint morborum, quibus obnoxii ſunt ii, qui metalla inaurant, quaeque ſit optima ratio arcendi iſtos morbos, optime excuſſiſſet.

Inter ceteras commentationes laudem plurimam meretur notata his verbis: *Aurum alios copiat, merces mihi gratia veſtra eſt.* Rogat academia ipſum auctorem, vt eam vna cum ſupplementis publici iuris faciat.

Iam academia hanc quaeſtionem propoſuit: quibus modis ſanitas eorum, qui colores terunt, poſſit defendi a morbis, qui illos frequenter adoriuntur, cum proficiſcantur ex ipſo eorum labore. (*La recherche des moyens par leſquels on pourroit garantir les broyeurs des couleurs des maladies qui les attaquent fréquemment, et qui ſont la ſuite de leur travail.*)

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 172.

travail.) Vult academia, vt istud opificium terendorum colorum accurate describatur, vt diligens recensio fiat variarum materierum, quas tractant illi homines, item mistionum, quas facere debent, denique noxiorum effectuum saepe inde oriundorum. Inprimis petit, vt viri docti summam curam convertant ad excogitandas rationes, quibus fieri possit, vt opifices ab omni periculo tuti sint, ita tamen, vt ne impediatur tritura colorum accurata et perfecta. Sperat academia, fore, vt in reprehensionem virorum doctorum incurrant vulgares istorum hominum officinae, vt quae sint et angustae admodum et refertae rebus noxias particulas exhalantibus, et aëri imperuiae. Praemium erit librae Gallicae 1080, aut, si magis placuerit, moneta aurea eiusdem pretii, dabiturque in consessu publico post festum Pasch. 1787. habendo, cuius anni exeunte Ianuario libelli missi sint necesse erit.

Plures libelli missi fuerunt istam quaestionem spectantes, quam academia proposuerat cuiusque optimam solutionem praemio 2400 librarum Gallic. anno 1783 concedendo ornatum iri declarauerat: quae sit ratio et simplicitate et vtilitate commendatissima magnam salis marini copiam ita decomponendi, vt inde educatur alcali, salis marini basis, idque purum liberumque ab omnibus particulis acidis aliisue, quodque non carius veneat, quam quod ex alcalinis salibus peregrinis in Galliam vehitur. Nullus tamen praemio dignus habitus est. Itaque academia edixit differri a se praemii distributionem ad annum vsque 1785. Necdum inter libellos denuo missos inuentus est, qui ipsi prorsus satisfaceret, adeo vt iam tertium eadem quaestio proponatur. Ante initium Septembr. 1787. tractatus sunt mittendi, qui in consessu publico, festo pasch. anni 1788 habendo, diiudica-

buntur. Academia etiam hanc quaeſtionem pro poſuit: quae ſit methodus optima tractandi hiſtoriam mineralogicam agri aut regionis. (*Expoſer les principes de la meilleure méthode d'après laquelle les obſervateurs devroient étudier et décrire l'Hiſtoire mineralogique d'un canton ou d'une grande Province.*) Petit, vt, quam quis in libello ſuo commendauerit methodum, ea in ipſo libello vtatur ad concinnandam agri, etiam admodum exigui, hiſtoriam mineralogicam. Praemium erit 1500 librarum Gall. Mittendae ſunt ſcriptiones ante initium Febr. 1787. Praemium dabitur feſto Paſch. 1787.

Praemiis decretis legerunt ſecretarius elogium aſtronomi clari, WARGENTIN, qui academiae Holmienſis a ſecretis fuit: BROUSSONET commentarium DAUBENTONI ſcriptum ſuper methodo lanas Galliae meliores reddendi: ſecretarius elogium Comitis DE MILLY: FOUGEROUX tractatum ſuper vtilitate aedificiorum ad ſiccanda grana aptorum: ſecretarius elogium CASSINI DE THURI: DE FOURCROY commentationem de modo ſeparandi aëris hepatici ſulphurisque ab aquis mineralibus: BROUSSONET commentationem de dentibus hominum comparatis cum dentibus brutorum carne et frugibus veſcentium.

Academia ſcientiarum imperialis *Petropolitana* in conuentu publico, die 7 Ian. habito, praemium quaeſtioni phyſicae, *de ſaxorum natura, montiumque aetate* *) dicatum, tribuit tractatui Germanico, cuius Auctor eſt Cl. CAROLUS HAIDINGER, Muſeo Caeſareo Vindobonenſi Adiunctus.

In annum 1787 hanc quaeſtionem propoſuit Academia:

Poſito, Cometam telluri adeo propinquum venire, vt mutuus influxus ſentiatur; definiatur 1) *quaenam*

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 552.

inde in motu telluris oriturae sint irregularitates; 2) *quaenam in oceano hinc enascentur phaenomena*; *et* 3) *quanam via quodlibet corpus, influxu facto, cursum suum continuaturum sit.* Quaestiones, cognitis legibus et tempore, mittantur ad Academiae secretarium Cl^um^ EULER.

Academia Theodoro-Palatina *Manhemiensis* ad quaestionem de *montium natura* **) anno 1783 propositam, e missis tractatubus duos delegit, qui, etsi quaestionem non omnino soluebant, tamen praemio digni visi sunt. Tractatui germanico cum symbolo: *Es wird gefragt, ob man in Bergen etc.* viginti numi aurei; Gallico autem, cum epigrapho: *L'homme avide de fortune se trompe souvent en la recherchant*, triginta aurei tributi sunt. Auctores horum tractatuum, si hoc iudicio academiae se submittere volunt, eapropter ad Secretarium academiae scribant, nominaque sua profiteantur: alias enim schedulae inapertae manebunt.

Eadem academia in annum 1787. hanc quaestionem proposuit: Quaeritur, quum electricitas ad remedia irritantia pertineat, an non eadem mersi, suffocati et alii mortui visi resuscitari possint, et an aliis hactenus vsitatis antecellat, et quaenam, hoc in casu, tutissima facillimaque sit methodus eiusdem applicandae? Optat academia, vt ad hanc quaestionem resoluendam idonea instituantur experimenta, hominibus et animalibus apta.

In annum 1789 hanc dedit iam nunc quaestionem: *Danturne in plantarum classe dioecia* LINN., *plantae femineae, quae sine coitu, s. polline antherarum non foecundatae, semina perfecta et germinantia pariant?*

**) Vid. com. nostr. Vol. XXVI. p. 348.

Optat academia, vt plantae non ſolum nominibus Tournefortianis et Linneanis diſtincte indicentur, ſed vt etiam vis ſeminum plantarum non foecundatarum prolifica et germinans, vel earundem ſterilitas, obſeruationibus certis et omnibus ſatisfacientibus experimentis demonſtretur, atque extra omne dubium ponatur.

Regia ſocietas Scient. *Göttingenſis* in conſeſſu menſe Novembris anni MDCCLXXXV. habito, praemium quaeſtioni de applicatione regularum mathematicarum ad altitudinem barometro definiendam *) tribuit Cl° HENNERT, Profeſſori *Traiecti*, et declaravit, ſe menſe Nou. 1787. praemio ornaturam eſſe optimam huius quaeſtionis mechaniſmum ſecretionum animalium ſpectantis ſolutionem: *praeſtare experimentis et obſeruationibus declarare, quales et quorum in organis ſecretorum partes iam in maſſa ſanguinis ante factam ſecretionem praeſentes ſint, quid ſtructura organorum ſecernentium diuerſa ad illas partes ſeparandas conferat, qua in re diuerſitas organorum conſiſtat, quibusnam naturae viribus dirigatur, et ſub quibus conditionibus et cauſis, in diuerſo valetudinis ſtatu, mutetur.*

Sed quaeſtiones ad oeconomiam ſpectantes hac propoſuit, quas, cum hac vice ſimul medicam cognitionem earundem reſolutio exigat, hic repetere iuuat: vnam iam antea propoſitam, de cuius ſolutione menſe Iulio 1786. ſententiam feret, quae huc redit: *quibusnam rationibus in pagis Saxoniae inferioris excitari poſſint ruricolae ad iuſtum mundities ſtudium, vtpote quod maximam vim habeat in ipſorum ſanitatem, alacritatem atque mores.*

Altera, de cuius ſolutione menſe Nou. 1786 iudicabit, talis eſt: *cum plerorumque pagorum ſitus atque*

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 348.

atque indoles nec commoda ſit, et obnoxia multis periculis, et ſaepe peſſundet incolarum ſanitatem, cum talis ſitus atque indoles tolli poſſit facile, vbi incendia graſſata ſunt: vult ſocietas, vt doceatur, 1) *quaenam ſit optima ratio, pagos deflagratos reaedificandi,* 2) *quid ſit faciendum, vt talem rationem ſequamur; quibus in quaeſtionibus ſoluendis non tam ad ſingulorum aedificiorum, quam ad totius pagi exſtructionem, reſpiciendum eſt.*

Qui has quaeſtiones optime ſoluerint, accipient duodenos ducatos; tractatus quarta hebdomade ante tempus diiudicationi ipſorum dicatum miſſi ſint oportebit.

Cognita eſt lis inter Ornithologos, praeſertim inter ADANSONUM et BARRINGTONUM, circa migrationem Hirundinum, quorum prior eam defendit, atque aſſerit, ſe *Hirundinem ruſticam* Europaeam Senegalli vidiſſe atque ſecum ex Africa reportaſſe; alter vero rationibus multis, neque ſpernendis, demonſtrare annititur, Hirundines per hiemem in noſtris regionibus remanere, atque cryptis et fiſſuris terrae rupiumque ſeſe abſcondere, atque eadem, qua aliae aues, ratione egelidae ac rigidae ſub terra hibernare. Etenim probabile videtur, Hirundines, quas ADANSONUS Senegalli vidit, fuiſſe vel cum *H. Senegallenſi*, vel cum *H. Melba* LINN. vnius ſpeciei, vt ideo in eo ADANSONUS erraſſe videatur, quod duas ſpecies a ſe diuerſas pro vna eademque habuerit. Nouis ideo obſeruationibus ad hanc litem componendam opus eſt: nam Hirundines, quas Adanſonus ſecum ex Senegallo retulit, et muſeo regio Pariſino immiſit, ibidem periiſſe videntur, ſaltim ſciſcitantibus non oſtenduntur. Forte quoque ex naturali dilatatione harum ſpecierum in re dubia certi quid intelligi po-

teſt: quaeritur igitur. „Quousque verſus Auſtralem telluris regionem *Hirundo ruſtica*, rectricibus, exceptis duabus intermediis, macula alba notata, LINN. obſeruata fuerit: et quoad verſus Septentrionem *Hirundo Senegallenſis* et *H. Melba* ſeſe extenderint?“ Quicunque obſeruationes hac de re inſtitutas nobiſcum atque per hos commentarios cum orbe litterario communicare voluerit, is certe grates atque plauſum Phyſicorum promerebit.

Similiter etiam, vtut fabuloſa, tamen a multis vera habita ſpecies hybrida ex boue et equo ſeu aſino, curatiorem diſquiſitionem promereri videtur, atque optandum eſt, vt vir fide dignus, vel hoc hybridum animal omnino eſſe fictitium, doceat, vel is, qui ipſis ſuis oculis coitum foecundum atque partum viderit, hoc animal curioſius quoad formam, et alias proprietates deſcribat, ac, ſi fieri poſſit, partium externarum et internarum delineationem publici iuris faciat. Speramus etiam, vel breuem, ſed certam hac de re nobiſcum communicatam relationem lectoribus noſtris gratiſſimam fore.

Regia ſocietas ſcientiarum Göttingenſis anno 1785. his viris aucta fuit: in *ſociorum* numerum recepti ſunt CL. FR. A REDEN, metallifodinis Clausthalienſibus praefectus: FR. H. W. A TREBRA, metallifodinis Zellerfeldenſibus praefectus vicarius; FR. U. TH. AEPINUS, imperatrici Ruſſicae a conſiliis ſtat., et eques ordinis St. Annae; CAR. Comes A SICKINGEN; PH. FR. Baro A DIETRICH, correſpondens academiae regiae ſcientiarum Pariſinae: in *correſpondentum* numerum L. FR. B. LENTIN, M. D., poliater Lüneburgenſis; MARSIL. LANDRIANI, Mediolani degens; M. MEDERER, Prof. Chirurgiae et artis obſtetr. Friburgenſis, regi Poloniarum a conſiliis aulae corporisque cura; P. M. A. BROUSSONET,

SONET, M. D., prof. veterinar. Parisinus; IO. SIBTHORP, M. D., prof. botanic. Oxonienſis; BLAS. MERREM, prof. Phyſices et mathemat. Duisburgenſis.

Eodem anno H. A. WRISBERG, prof. anat. Götting. Regi magnae Brit. conſiliarii aulici titulo ornatus eſt.

G. FR. HILDEBRANDT, M. D., quem Göttinga doctorem hucusque habuit, Brunſuicum arceſſitus eſt, vt ibi Anatomen doceat.

Quem Polonia iam poſſidet, GE. FORSTER, Halae Saxonum ab ordine medicorum die 21. Sept. tulit doctoris medicinae dignitatem atque iura, cum ordini exhibuiſſet diſſertationem de plantis eſculentis inſularum Oceani auſtralis.

Mortui ſunt:

Cl. IUVET, M. D. Conſiliarius medicus, aquarum Borbonienſium ſoteriarum director, Collegii medici Nanceiani aliarumque ſocietatum litterariarum ſocius.

Die 8. Nou. *Brunſwici* FR. H. BRÜCKMANN, M. D., filius illius BRÜCKMANNI, qui duci Brunſwicenſi a corporis cura eſt, natus 27 annos.

Die 8. Decembr. *Brunſwici* IO. PHIL. DU ROI, medicus aulicus, 45 annos natus

Mediolani die 21. Decembr. IO. BORSIERI, profeſſor Ticinenſis.

Anno 1785 exeunte *Vpſaliae* I. G. WALLERIUS, 77 annos natus.

Cl. VICQ D'AZYR, propediem in folio maiori edeturus eſt *Traité d'anatomie et de Phyſiologie*, Pariſiis apud *Didotum Seniorem*. Cura atque ſtudium Auctoris illud opus omnibus numeris abſolutum atque

atque perfectiſſimum pollicetur. Accuratam corporis humani deſcriptionem ſuppeditabit Auctor Chartarum bulas nitidiſſime aeri inciſas a Cl. BRICEAU, qui apparatum anatomicum ſcholae veterinariae deſignandi conſtitutus eſt, et ſecundum naturam omnia corporis humani organa aeque ac animalium repraeſentabit, quibus explicationes perſpicuae ac ſuccinctae adiicientur, et tandem mechaniſmi et functionum omnium organorum explicatio addetur. Tabulae aeri inciſae prodibunt in quaternionibus ſex, cum breuibus dilucidisque explicationibus. Deſcriptio vero organorum his tabulis inſeruiens, et diſquiſitio functionum eorumdem ſeorſim prodibunt, et vnaquaeque collectio conſtabit duodecim libris Gallicis. Quilibet ſuum poteſt profiteri nomen, ſi lubeat hoc opus egregium ſibi comparare, apud Dr. BRICEAU, et Librarios *Didotum* Seniorem, *Barois* Iuniorem, *Auguſtins* et *Chereau*, mercatores Lutetiis Pariſiorum. Illud ipſum opus approbante Academia regia ſcientiarum et ſocietate regia medica cum priuilegio typis deſcribetur, et primus faſciculus calendis Nouembris 1785. prodiiſſe dicitur.

XV.

Continuatio Indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1781 prodierunt.

Anweiſung zur Bienenzucht für alle Gegenden von I. L. CHRIST. *Frankf.* 8.

EIUSD. *Unterricht v. d. Landwirthſchaft und Verbeſſerung des Feldbaues. Frankf.* 8.

A Treatiſe on the Gonorrhoea, By P. CLARE. London. 12.

De-

Deliciae Cobresianae, I. PR. COBRES *Bücherſammlung zur Naturgeſchichte. I. 2. Theil. Augsburg.* 8.

Mémoire ſur le Regime végétal des gens de mer. Ouvrage Poſthume de feu Mr. de Courcelles — publié par le Chev. DE LA COUDRAYE. Nantes. 8.

Account of the priſons and hoſpitals in Ruſſia, Sweden and Denmark, by W. COXE. London. 8.

Die neuſten Entdeckungen in der Chemie, geſammelt von D. L. CRELL. *1ter Thl. Leipz.* 8.

Chemiſches Iournal, entworfen von Dr. L. CRELL, *VI. Theil. Lemgo,* 8.

Bibliotheca chirurgica, in qua res omnes ad chirurgiam pertinentes ordine alphabetico, ipſi vero ſcriptores, quotquot ad annum vſque MDCCLXXIX. innotuerunt ad ſingulas materias, ordine chronologico exhibentur, adiecto ad libri calcem auctorum indice ſtudio et opera STEPHANI HIERONYMI DE VIGILIIS VON CREUZENFELD. Vindobonae. Vol. I et II. 4.

AX. FR. V. CRONSTEDT *Mineralgeſchichte über das Weſtmanländiſche und Dalekarliſche Erzgebirge, auf Beobachtungen und Unterſuchungen gegründet, nach deſſen Handſchrift aus dem Schwediſchen überſezt von I. G. Georgi, zum Druck befördert von D. I. C. D. Schreber, mit einer Kupferpl. Nürnberg.* 8.

PH. A. CUNTZ *Nachricht von den Wirkungen und dem Gebrauche des Dorf-Geismariſchen Geſundbrunnens. Caſſel.* 8.

Dictionnaire des merveilles de la nature; par M. A. I. S. D. 2 Vol. in 8. à Paris.

Anémométre propoſé aux amateurs de météorologie — — — par Ch. DE DALBERG. Erfurt. 4.

A brief

A brief Hiſtory of the late Expedition againſt Fort San Iuan, ſo far as it relates to the Diſeaſes of the Troops; together with ſome Obſervations on Climate, Infection and Contagion; and ſeveral of the Endemial Complaints of the Weſt Indies. By THOMAS DANCER M. D. London. 4.

Analyſe de l'eau minérale d'une fontaine ſituée rue de Carmer à Saint-Pol en Artois faite par L. L. DECROIX, Boudin. 8.

Ragionamento fiſico chirurgico ſopra l'effetto della Muſica nelle mallattie nervoſe da LUIGI DESBOUET. Livorno. 8.

Traité des Eaux minérales de Chateldon, de celles de Vichy et de Hauterive en Bourbonnois etc. Par M. DESBREST — — A Moulins et à Paris. 12.

Reflexíons ſur la ſection de la ſymphyſe des os pubis, ſuivies d'obſervations ſur l'emploi de l'alcali volatil' dans le traitement des maladies vénériennes; par M. DESGRANGES. à Lyon. 8.

I. L. F. DIEZ progr. de irritabilitate quaedam. Gieſſ. 4.

Tracts on Inoculation, written and publiſhed at St. Petersburg in the year 1768, by command of her Imperial Majeſty, the Empreſs of all the Ruſſias: with additional obſervations on Epidemic Smallpox, on the Nature of that Diſeaſe, and on the different Succeſs of the various Modes of Inoculation. By the Hon. Baron T. DIMSDALE. London. 8.

MATTH. DOBSON *Abh. über die mediciniſchen Kräfte der fixen Luft. a. d. Engl. Leipz.* 8.

DOMINICETTI Medical Anecdotes of the laſt thirty years, illuſtrated with Medical Truths. London. 8.

Mé-

Mémoire ſur les ſymptômes et le traitement de la maladie vénerienne dans les enfans nouveau-nés. Par M. DOUBLET. à Paris. 12.

Du déplacement des Mers. Par M. DUCARLA. Geneve et Paris. 8.

DUCASSE Traité de Vapeurs. Sens, 12.

Medical commentaries. A View of the lateſt Diſcoveries in Medecine and Medical Philoſophy. By ANDREW DUNCAN. For the Year 1780. London. 8.

DUNCAN Heads of Lectures on the Theory and Practice of Medicine, the ſecond édition. Edinburgh and London. 12.

Obſervations ſur la rage; par M. DUPPERRIN. à Bourges. 4.

DUWERGE *Abh. über die Mittel, die Gegenſtöße in menſchlichen Körper zu entdecken und ihre Folgen zu verhüten, aus den Fr. von* K. G. MORIZ. *Leipzig.* 8.

Beyträge zur Naturgeſch. der kleinſten Waſſerthiere in den Gewäſſern in und um Danzig, von I. C. EICHHORN, *mit* 8 *K. Berlin und Stettin.* 4.

An Account of the Nature and Medicinal Virtus of the principal Mineral-Waters of Great Britain and Ireland, and of thoſe moſt in repute on the Continent. By I. ELLIOT, M. D. London. 8.

The Medical Pocket-Book, by the ſame. London. 12.

Abhandlung über die Bruſtbräune von C. F. ELSNER. *Erſter Verſuch. Königsberg.* 8.

Specimina medica. Auctore CAR. CHR. ENGEL, M. D. accedit Sylloge Epiſtolarum P. G. WERLHOFII ſelectiora quaedam conſilia continentium. Berol. 8.

Labo-

Laboratorium chymicum. Auct. GUSTAV ABR. GESTRÖM. Holmiae. Tom. I. (vid com. noſtr. dec. III. Suppl. p. 720.)

ESPERS *europäiſcher Schmetterlinge* IVtes *Heft.* Erlangen. 4.

De varietatibus ſpecierum in naturae productis diſquiſitio philoſophica. Sect. I. Auct. EUG. IO. CHPH. ESPER. Erlang. 4.

I. FABRICIUS *Betrachtungen über die allgemeinen Einrichtungen in der Natur.* Hamburg. 8.

EIUSD. ſpecies inſectorum exhibentes eorum differentias ſpecificas, ſynonyma auctorum, loca natalia, metamorphoſin, adiectis obſeruationibus, deſcriptionibus. Tom. I. Hamburg et Kilon. 8.

Remarks on the Influence of Climate, Situation, Nature of Country, Population, Nature of Food, and Way of Life, on the Diſpoſition and Temper, Manner and Behaviour, Intellects, Laws and Cuſtoms, Form of Government, and Religion, of Mankind. By W. FALCONER, M.D. London. 4.

Verzeichniß des vom ſel. Doctor und Kreisphyſico FELDMANN *zu Neuruppin nachgelaſſenen Naturaliencabinets. Berlin.* 8.

G. F. FELLER Ep. de enematibus atque nouo fumum tabaci inflandi methodo. Lipſ. 4.

I. H. FISCHER diſſ. inaug. de cerebri eiusque membranarum inflammatione et ſuppuratione occulta. Götting. 4.

Traité ſur le Vénin de la Vipere, ſur les Poiſons américains, ſur le Laurier ceriſe, et ſur quelques autres Poiſons Végétaux, avec des Obſervations ſur la Structure primitive du corps animal, etc. par Mr. FELIX FONTANA. Voll. II. 4.

Von Verbeſſerung der Lohgärberei, v. IOH. REINHOLD FORSTER. *Nebſt der Ueberſetzung einer Vor-*

einer Vorſchrift Leder lohgar zu machen, nach einer neuen Art. Halle. 8.

GEORG FORSTERS *ſtrödde Underrättelſer om Capitaine* COOKS *ſiſta Reſa och olyckeliga död i Söderhafwet* ANDREAS SPARRMAN. *Stockholm.* 8.

Indiſche Zoologie oder ſyſtematiſche Beſchreibungen ſeltener und unbekannter Thiere aus Indien mit 15 illuminirten Kupfertafeln. Nebſt einer kurzen vorläufigen Abhandlung über den Umfang von Indien etc. von I. R. FORSTER. *Halle. Fol.*

Beyträge zur Völker- und Länderkunde, herausgeg. von I. R. FORSTER *und* M. C. SPRENGEL. *Erſter Th. Leipzig.* 8.

The principles and practice of Midwifery. [By EDWARD FOSTER. M. D. completed and corrected by JAMES SIMS. M. D. London. 8.

A Complete Collection of the Medical and Philoſophical Works of I. FOTHERGILL. with an Account of his Life; and occaſional Notes; by I. ELLIOT. London. 8.

Leçons élémentaires d'Hiſtoire Naturelle et de Chymie, par M. DE FOURCROY. 2 voll. Paris 8.

Obſervations ſur la nature les cauſes et le traitement de la fievre lente ou hectique, Par M. FOURNIER. à Dijon. 8.

An Addreſs to the Nobility and Gentry of both Sexes, on the great and good Effects of the Univerſal Medicine of the ancient Magi; being the grand and inviolable Secret of Maſonry. By S. FREEMAN, M. D. London. 8.

G. F. C. FUCHSII commentatio de dracunculo Perſarum ſiue vena Medinenſi Arabum. Ienae. 4. (*vid. tom. noſtr. dec. III. ſuppl. 4. p. 661.*)

Neues Magazin für die Liebhaber der Entomologie. v. I. C. FÜESSLY. 1 *Heft. Zürich.* 8.

Archiv der Inſektengeſchichte, von I. C. FÜESSLY. 1 *Heft. Zürich.* 4.

The young Gardener's beſt Companion etc. etc. By S. FULLMER. London. 12.

Theoria Magnetis, explicauit M. GABLER — cum 1. tab. aen. Ingolſt. 8.

Catechiſme ſur les morts apparentes, dites aſphyxies, ou Inſtruction ſur les manieres de combattre les differentes eſpeces de morts apparentes, par demandes et par réponſes, fondée ſur l'experience, et miſe à la portée du peuple; imprimé et publié par ordre du gouvernement. Par M. DE GARDANNE. à Paris. 12.

G. M. GATTENHOF. diſſ. inaug. Inflammationis therapia, reſp. A. I. VARNHAGEN. Heidelberg. 4. (*vid. comm. n. Vol. XXV. p.* 683.)

C. W. I. GATTERERS *Abhandl. vom Nutzen und Schaden der Thiere, nebſt den vornehmſten Arten, dieſelben zu fangen und die ſchädlichen zu vermindern.* 1 *B. von den Säugthieren. Leipz.* 8.

Some Obſervations on the preſent Epidemic Dyſentery. By FRANCIS GEACH — — Lond. 8.

I. C. GEHLER Progr. quatenus aër in pulmones hauſtus vitam alat diſquirens. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. de ruptura perinaei in partu cauenda. Ib. 4.

Eiusd. progr. de variis aërem corruptum emendandi mediis. ib. 4.

Voyage dans les mers de l'Inde, fait par ordre du Roi à l'occaſion du Paſſage de Venus ſur le diſque du Soleil — — par M. LE GENTIL — Tome 2. Paris. 4. avec fig.

C. A. GERHARD *Verſuch einer Geſchichte des Mineralreichs.* 1 *Th. mit* 10 *K. Berlin.* 8.

L. A. TH. GIESEKE diſſ. Animaduerſiones in genus et ſpecies haemorrhagiarum ſecundum Syſtema Cl. Vi-

Cl. Virorum BOISSIER, SAGAR, et CULLEN. Götting. 4.

Agri Romani hiſtoria naturalis tres in partes diuiſa ſiue methodica ſynopſis naturalium rerum in agro Romano exiſtentium a PHIL. ALOYS. GILIJ concinnata. P. I. Regn. animale. T. I. Ornithologia, in qua de priore auium claſſe. Romae. 4. cum tabb. aen.

Saggio di Storia Americana, o ſia Storia naturale, civile e ſacra de' regni e delle provincie Spagnuole di Terra-ferma nell' America meridionale, deſcritta dall' Abate FILIPPO SALVADORE GILIJ. Tomo 2. Roma. 8.

Hiſtoire naturelle de la france méridionale, par M. l'Abbé GIRAUD-SOULAVIE. Tomes IV. à Paris. 8.

Beyträge zur Naturgeſch. und Bergpoliceywiſſenſchaft in 4 Abhandlungen von F. G. GLAESER. *Leipzig.* 8.

D. I. G. GLEDITSCH's *Einleitung in die Wiſſenſchaft der rohen und einfachen Arzneymittel nach phyſikaliſch-chemiſchen und mediciniſch-praktiſchen Gründen. 2ten Theils 2ter Abſchnitt. Berlin und Leipzig.* 8.

Des Hrn. Baron von GLEICHEN *genannt Rußworm Abhandlung vom Sonnenmikroſkop, etc. Nürnberg.* 4.

I. F. GMELIN *Einleit. in die Pharmacie. Nürnb.* 8.

D. CHR. GOTTWALDTS *phyſikaliſch-anatomiſche Bemerkungen über die Schildkröten, aus dem Latein. überſ., mit* 10 *Kupfert. Nürnb.* 4.

GOULARD's *Sammlung merkwürdiger Fälle, welche in die Anatomie, Pharmaceutik, Naturgeſchichte u. ſ. f. einſchlagen. Nebſt einigen geheimen Nachrichten der berühmteſten Aerzte. A. d. Franz.*

überſ. Erſter und zweyter Theil. Frankfurt und Leipz. 8.

Some obſervations on the Origin and Progreſs of the Atrabilious Conſtitution and Gout. By W. GRANT. London. 8.

Diätetiſches Wochenblatt für alle Stände von D. GRAUMANN. I *Theil. Roſtock.* 8.

C. G. GREDING Epiſtola de primis variolarum initiis earumque contagione virulenta. Lipſ. 4.

Vermiſchte medicin. und chirurg. Schriften von Lic. I. E. GREDING, *Altenburg.* 8. (vid. com. noſtr. Vol. XXV. p. 24.)

Zoophylacium Gronouianum, exhibens animalia quadrupeda, amphibia, piſces, inſecta, vermes, molluſca, teſtacea et zoophyta, quae in muſeo ſuo adſeruauit, examini ſubiecit, ſyſtematice diſpoſuit atque deſcripſit L. TH. GRONOVIUS Faſciculus 3. Lugd. Bat. fol. (MEUSCHENIUS indicem congeſſit)

T. GRUBERS *Briefe hydrographiſchen und phyſikal. Innhalts aus Krain an I. Edl. von Born. Wien.* 8.

GRUNER diſſ. inaug. ſiſtens hiſtoriam oſteoſteatomatis maxillae feliciter curati. Ienae. 4.

Eiusd. diſſ., de febre puerperarum reſp. G. F. C. FUCHS. Ienae. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de vſu acidorum et ſaponis Hiſpanici in febribus acutis, praeſertim inflammatoriis, reſp. *Krüger.* ib. 4.

Eiusd. diſſ., de Anthropophago Bercano Sectio prior hiſtorica, reſp. *Iacobi.* ib. 4.

Färbe - und Blaichbuch, zu mehrerm Unterricht, Nutzen und Gebrauch für Fabrikanten und Färber 3ter und letzter Band. Ulm. 8. (Auctor eſt IEREMIAS ELIAS GÜLICH.)

Atlas

Atlas minéralogique de la France, entrepris par ordre du roi par M. GUETTARD et MONNET. Prémière partie. à Paris. fol.

Cerebri neruorumque hiſtoria corporis humani anatome repetita Auct. D. I. G. HAASIO — Lipſ. 8. (*vid. c. n. Vol. XXV. p.* 238.)

C. CHR. HAASE diſſ. inaug. ſiſtens cauſas difficilis deglutitionis. Götting. 4.

I. C. HAKEN diſſ. inaugur. de febre ſcarlatina. Göttingae. 4.

ALBRECHT VON HALLER's *Grundriß der Phyſiologie für Vorleſungen. Nach der vierten Lateiniſchen, mit den Verbeſſ. und Zuſ. des Hrn. Prof.* WRISBERG *vermehrten Ausgabe aufs neue überſ. u. mit Anm. und einem dergl. Verzeichniſſe verſehen von D.* K. F. UDEN. *Zween Theile. Berlin.* 8.

EIUSD. *Beyträge zu Beförderung der Geſchichte und Heilung der Krankheiten. Aus deſſen Sammlung praktiſcher Streitſchriften in einen vollſtändigen Auszug gebracht und mit Anmerkungen verſehen von D.* L. CRELL. *Erſter Band. Berlin und Stettin.* 8.

A Treatiſe of Midwifery etc. By A. HAMILTON — London. 8.

Oeuvres complettes de Mr. le Chev. HAMILTON etc. commentées par Mr. l'Abbé GIRAUD SOULAVIE. Paris. 8.

A Philoſophical and Experimental Enquiry into the firſt and general Principles of Animal and Vegetable Life: likewiſe into Atmoſpherical Air, etc. With a Refutation of Dr. Prieſtley's Doctrine of Air; Proving, by Experiment, that the Breathing of Animals, Putrefaction, etc. do not phlogiſticate, but dephlogiſticate the Air; and that the office of that eſſential Organ, the Lungs, is not to diſcharge Phlogiſton to the Air,

but to receive it from the Air. By R. HARRINGTON — London. 8.

I. I. HARTMANN diſſ. de Gangraena. Erfurt. 4.

C. A. HARTWIG commentatio de chemiae ad medicinam faciendam neceſſitate. Lipſ. 4.

Diſſertatio med. de anthropophago Bercano. Auctor FR. G. A. I. DE HATZFELD, M. D. Ienae. 4.

I. ST. HAUSMANNS — — *Anzeige ſeiner zu haltenden Vorleſungen von Michaelis* 1781 *bis* 1782. *nebſt einer kurzen Beurtheilung der hawkinsſchen Methode, den Blaſenſtein zu operiren.* Braunſchweig. 8.

An Addreſs to the King and Parliament of Great Britain, on the important Subject of preſerving the Lives of its Inhabitants, by Means which, with the Sanction and Aſſiſtance of the Legiſlature, would be rendered ſimple, clear, and efficacious to the People at large. With an Appendix, in which is inſerted a Letter from Dr. Lettſom, to the Author. By W. HAWES, M. D. — — To which are ſubjoined, Hints for improving the Art of reſtoring ſuſpended Animation: and alſo for adminiſtering dephlogiſticated Air in certain Diſeaſes, and particularly in the preſent Epidemic — termed Influenza. Propoſed (in a Letter to Dr. HAWES) by A. FOTHERGILL, M. D. London. 8.

An Account of a Method of preſerving Water at Sea from Putrefaction, etc. By TH. HENRY. London. 8.

I. C. G. HENZE *Entwurf eines Verzeichniſſes veterinariſcher Bücher, und einzelner Abhandlungen, die dahin gehören. Göttingen und Stendal.* 8.

Beſchreibung des Silberſchmelzproceſſes zu Neuſohl in Ungarn mit Beylagen, zum Behufe der Anfänger

und Reiſenden, herausgeg. von B. F. HERMANN. *Wien.* 8.

B. F. HERMANNS *Reiſen durch Oeſterreich, Steyermark, Kärnthen, Krain, Italien, Tirol, Salzburg und Baiern im J.* 1780. *in Briefen an den Hrn. Hofr. v. S. in M. Wien.* 8. 1*tes und* 2*tes Bändchen.*

HIPPOKRATES *Werke. Aus dem Griech. überſ., und mit Erläuterungen von D.* I. FR. K. GRIMM. 1 *Band. Altenburg.* 8.

An affectionate Tribute to the Memory of the late Dr. I. FOTHERGILL. By W. HIRD, M. D. London. 4.

Gartenkalender auf 1782, *herausgegeben von* C. C. L. HIRSCHFELD. *Kiel und Deſſau.* 8.

Clinical Experiments hiſtories and diſſections. By FRANCIS HOME. Lond. 8.

FRANZ HOME *Cliniſche Verſuche, Krankengeſchichte und Leichenerö ffnungen. Leipz.* 8*maj.*

An Eſſay on Fire. To which is annexed an Appendix: by C. R. HOPSON, M. D. Lond. 8.

HOUSTOUN vid. ſupra p. 548. *Reliquiae* etc.

Neue leichte und ſichre Heilungsart des Steins, Scorbuts, Podagra, u. ſ. w. und Vernichtung der im menſchlichen Körper entſtehenden Würmer, von N. HULME, *a. d. Engl. ins Lateiniſ. überſ. von* I. INGENHOUSZ, *nunmehro ins deutſche überſ. von* I. LIPPERT. *Wien.* 8.

Naturgeſchichte des Niederdeutſchlands etc. von I. W. K. A. *Freiherrn* VON HÜBSCH. 1 *Theil mit* 7 *ausgem. K. Nürnberg.* 4.

HUNGERBYHLER de oleo ricini medicamento purgante et anthelmintico praeſtantiſſimo, cum icone. Friburg. 8.

A Treatiſe on Sympathy. By SEGUIN HENRY JACKSON, M. D. London. 8.

J. K. G. IACOBSONS *technologiſches Wörterbuch. 1ſter Theil. Berlin.* 4.

N. J. IACQUIN ſelectarum ſtirpium americanarum hiſtoria. T. I. II. Viennae. fol. max.

N. J. IACQUIN Miſcellanea auſtriaca ad botanicam, chemiam et hiſtoriam naturalem ſpectantia. Vol. 2. Viennae. 4. (*Vol. I. vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 241.)

Icones plantarum rariorum, editae a N. J. IACQUIN. Vindob. fol.

Voyages metallurgiques par M. G. IARS. à Paris. 3. T. II. av. fig.

Phyſiological Diſquiſitions or diſcourſes on the natural philoſophy of the elements. By WILLIAM IONES. London. 4.

An Inquiry into the State of Medicine, on the Principles of Inductive Philoſophy. With an Appendix; containing Practical Caſes and Obſervations. By ROBERT IONES, M. D. London and Edinburgh. 8.

EYLES IRWIN *Eſq. Begebenheiten einer Reiſe auf dem rothen Meer, auf der arabiſchen und ägyptiſchen Küſte, ingl. durch die thebaiſche Wüſte. Mit Landcharten und Kupfern. Aus dem Engl. überſ.* Leipzig. 8.

Verſuch eines Lehrbuchs der Forſtwirthſchaft. Zum Gebrauche der Vorleſungen auf der Kameral hohen Schule zu Lautern. Von IOHANN HEINRICH IUNG. *Mannheim und Lautern.* 8.

Inſtitutionum medicinae practicae, quas auditoribus ſuis praelegebat IO. BAPT. BURSERIUS DE KANILFELD, Vol. I. de febribus. Praemitt. comment. de inflammatione. Mediol. 4.

KEMME, diſſ. inaug. de notione gangraenae et ſphaceli, reſp. F. W. L. M. GROSCHOPF. Halae. 4.

